nos.apud quos primus fuit Tarquinius, cui imperiũ fuerat abrogatũ, referente Sabellico, l.8.En.2.ex Livio. Apud Græcos amiſerat regnũ Thraſybulus, â Syracuſanis pulſus, propter improbitatem ſuam & ſcelera, ut teſtis eſt, Diod. Siculus l.11.Bibl. Nec de eo, qui ſpontè abſcedit, & alteri lampada tradit, ad avertendam imminentem publicam ruinam. ſic anno 1558. Carolus V. Imperator, per Legatos Electoribus, Francofurti congregatis, imperium reſignavit, & in Fratrem Ferdinandum 1. transferri paſſus eſt, ut omnia manerent in ſtatu tranquillo atq; pacato. Nec de eo, qui ſuperſtitione imbutus, aut dolo circumventus imperiô ſe abdicavit, ſicut exemplum illius habemus in Fabio M. hic cum faceret rem divinam, & in iſto opere inſuetum ſoricis concentum audiret, diritate portenti (ut ipſe exiſtimabat) offenſus, Dictaturæ nuncium miſit, aqud Val. M. l.1.c.1. Hujus verò, in Cœleſtino V. Pontifice, cui cum Benedictus Cajetanus fucum feciſſet, & nonnullos ſubornâſſet, qui nocturno tempore cubiculũ illi⁹ perſtreperent, ut ſi ſalvus fieri vellet, Pontificatum dimitteret! homo ſimplex, tanquã voce cœlitùs demiſsâ perſuaſus, officiô ceſſit, & Bonificium Cajetanum in locum ſuum ſubſtituit, apud Egnat. l.4.c.1. Nec deniq; de eo loquimur, qui ſubodorans, ſe certis de cauſis ſubmotum iri, prævenit, & antequam cum dedecore deturbetur, dimiſſionem petit, & ſic provinciâ hactenus adminiſtratâ cum decoro decedit. Memorabile ejus rei exemplum tradit Pet. Bembus de Lucio Malvetio, Copiarum Venetarum Præfecto: Hic cum laboraret timore formidineq; animi in conſiliis capiendis, præterea tarditate negligentiaq; in maturandis & perficiendis, odium Senatus ſibi conflavit, ut cœptum ſit agi de eo removendo, & alium in ipſius locum eligendo, cui ſe tutius Civitas in belli rebus tradere & permittere poſſet. Lucius verò hæc vel prævidens futura, vel facta de amicis ſuis cognoſcens, literas ad Patres dedit, quibus profeſſus eſt, Senem ſe factum, minusq; jam ad belli munera & labores obeundos idoneum, quàm olim fuerit. itaq; cupere artem deſinere, ſi per eos liceat, atq; ad quietem ſe, vitamq; ſuam reliquam tradere; petere, ut liceat. Quam quidẽ ejus petitionem Patres opportunè oblatam lubentes acceperunt, honorificoq; reſponſo dimiſſum eum fecerunt, l.11. Hiſtor. Venetæ, p.467.

Sed de eo caſus noſter formatus eſt: Qui rei benè geſtæ, ſcelerisq; puritatis ſibi conſcius, ab omni ſuperſtitione doloq; exemtus, periculum remotionis nullum habet, de quo ſibi metuat; & oblatam ſpartam dextrè exornat, ampliusq;, quantum etiam orbis furat orcusq;, exornare laborat: verùm in eo duntaxat majorem in modum gravatur, quòd ſalubribus ſuis cõſiliis locum nullum inveniat: quòd actionibus ſuis, licet ad normam Conſcientiæ & ſalutem pub. exactè conformatis, nihil proficiat, imò, quod

in vicem gratitudinis, remunerationis aut laudationis, merum odium, invidiam & nominis ſui detractatiōnem reportet &c. annon, tantâ indignitate rei perculſus, juſtiſſimam cauſam habeat, cur perſonam ſuam abjiciat, pulverem pedum excutiat, & Magiſtratum res ſibi ſuas impoſterùm habere ſinat?

Ubi ſtatim in negantem deſcendimus ſententiam, moti Scripturæ dictis, exemplis & rationibus. Scriptura, certè, unumquemq; jubet manere in vocatione, in qua vocatus eſt, 1. Cor. 7. ℣. 20. etiamſi opus fuerit laborioſum, Eccl. 7. ℣. 16. & maledicit eum, qui manu admotâ aratro reſpexerit retrò, Luc. 6. ℣. 62. quod ſuô periculô experta eſt Uxor Loth, quæ licet ex Sodomis egreſſa, paulò poſt tamē, in ſtatuam ſalis mutata eſt, cum retroſpiceret, & viam ſtratam non pergeret, Gen. XIX. 26, in perpetuam rei memoriam, ne cœpti pœniterent, aut currum inverterent, quotquot animam ſuam ſervare vellent, Luc. 17. ℣. 32. Qui igitur ſtadium Magiſtratus, ſemel ritè ingreſſus eſt, pergat currere, ne pudefiat, ſed appenſum præmium comprehendat, 1. Cor. 9. ℣. 24.

Nam ecce!

palmam, quâ capitur Gloria, finis habet, inquit Proſper Aquitanicus

Inter exempla, Moſis & Davidis potiſſimùm emineant. Moſes difficilimum habuit magiſtratum & periculoſiſſimum. ſubinde enim â ſuis Iſraelitis, in quorum gratiam, aulam Ægyptiacam & honores ampliſſimos reliquerat, vexabatur, ac atrocibus injuriis proſcindebatur: parùm aliquando aberat, quo minus lapidibus eùm obruiſſent & enecuiſſent: hinc Scripturæ omnium afflictiſſimum eum indigitant, Num. 12. ℣. 3. tamen curam ad adminiſtrationem pub. retinuit, usque ad extremum vitæ halitum, Deut. 34. ℣. 5. Quid *D*avidi evenerit, poſt mille bellorum diſcrimina, poſt infinitos labores, pro publica ſalute exantlatos, ex hiſtoria ſacra, præſertim verò *P*ſalterio notius eſt, quàm ut prolixiore commemoratione indigeat: & tamen Remp. fovere non deſtitit, etiam tum, cum, præ nimia Senectute, Abiſagis puellæ calore foveri neceſſe haberet, 2. Reg. 1. ℣. 3. Et rectè! ſicut enim apes vigilantes & laborioſæ ſunt, ut nunquam veſparum deſidiam induant: ſic dedecet eos, qui in negotiis majorem ætatis partem contriverunt, in ſenectute torpeſcere, & rerum habenas relinquere. Imitentur illi prudentē nauclerum, in navi clavum tenentem: Utut enim iſte non moveatur loco, nec remiget, nec vela aut rudentes aptet, nec ancoram jaciat, nec alia miniſteria obeat, plus tamen ad navis gubernationem confert, quàm cæteri omnes: ſic *S*enes, licet corporis viribus & armis non amplius polleant, tamē excoctis ſuis conſiliis, â furore & affectibus liberis, Remp. juvent, protegant atq; conſervent.

Rationes contrahemus in paucas, quarum prima erit â conſtante Dei bom-

bonitate, atq; auxilio. Tenendum enim eſt certiſſimâ fide, Deum, qui initiò animum & vires, ſubeundi hanc provinciam, largitus eſt, pro bonitate ſua, cætera quoq; moturum & moderaturum eſſe, ut certamen illud decertetur, curſus conſummetur, & quicquid tricarum ſuperveniat, ſufferatur & ſuperetur. Nam jubemur perſuaſum habere, hoc ipſum fore, ut, qui cœpit in nobis bonum opus, ad extremum usq; etiam perficiat, *Phil.* 1. ℣. 6. commendabimus modò Domino viam noſtram, & ipſe faciet. adjuvabit nos Jehova, & eruet nos, eruet nos ab impiis, & ſervabit nos, quia ſperavimus in eo, *Pſ.* 37. ℣. 5. & 40. Qui nomen dedit Militiæ, & Sacramentum præſtitit, pro ſe proq; ſua cauſa ſtrenuus certat in armis, quoties fert occaſio, & licet undiq; haſtis, gladiis & ignitis globulis obvolvatur, ſtationem tamen ſuam non deſerit, ſed tentat fortunam, & ruit in prælia; confiſus in Dei bonitate ac auxiliô, ſe vel periculô evaſurum, vel glorioſâ morte occubiturum: Ita Magiſtratus, tanquam togatus miles, non deſerat perſonam ſuam, nec recedat à Rep. quibuscunq; etiam fortunæ telis impetatur, ſed contrà audentior in ſuo officio progrediatur, indubius, Deum ſtaturum à partibus ejus, & inter denſiſſimos conflictus, felicibus armis auxilium allaturum eſſe.

Secunda ratio petita eſt à Magnanimitate. Magiſtratum oportet eſſe magnanimum, probat Tholoſan. l. 4. de Rep. c. 5. §. 44. ex Eccleſ. 7. ℣. 6. Ergò non mox expaveſcere, ad quemvis cadentis folii ſtrepitum, tanquam ad Hecatis aſpectum, & terga vertere: nec ad quamvis injuriam expalleſcere, & niſi deſubitò vindicta ſumatur, Curiâ excedere. Nam magnanimus eſt μεγαλοκίνδυνος, hoc eſt, ſi vertere licet, magnipericlitans, parva pericula, pro fulgure è pelvi æſtimans, majoribus verò vel animi magnitudinem atq; conſtantiam opponens: vel ſi viderit, ſingularem indè virtuti ſplendorem accedere, urgentem neceſſitatem ultrò, etiam cum vitæ periculo, appetens atq; adiens. Eſt enim ἀφειδὴς τοῦ βίου, mori mavolens, quàm contemtim vivere. Præterea eſt ἀμνησίκακος, vulgares injurias flocci faciens, & indignas judicans, propter quas commoveatur, aut de illis vindicandis meditetur: quemadmodum de utroq; Magnanimitatis προσχήματος fuſius agit Ariſtoteles, 4. NE. c. 3. Utriusq; veſtigium exprimitur in beluis, prioris quidem in canibus Regis Albaniæ, Alexandro M. donô miſſis, de quibus talia Plinius l. 8. Nat. H. c. 40. p. 194. Indiam petenti Alexandro M. Rex Albaniæ donô dederat inuſitatæ magnitudinis canem: cujus ſpecie delectatus juſſit urſos, mox apros & deinde Damas emitti, Cane contemtu immobili jacente: qua ſegnitie tanti corporis offenſus Imperator generoſi ſpiritus, eum interimi juſſit. Nunciavit hoc fama Regi, itaq; alterum mittens, addidit mandata, ne in parvis experiri vellet, ſed in Leone, Elephantóve. Duos

ſibi fuiſſe:hoc pariter interemto,de cætero ſibi nullũ fore. Nec diſtulit Alexander,leoneq́; fractũ protinus vidit:poſtea elephantũ juſſit induci, haud alio ſpectaculo lætatus magis. En magnanimitatem. etiam in canibus ſtupendã! turpe,remiſſiora eſſe velle heroica Magiſtratuum pectora! Poſterioris in Apro ab aſino deriſo,de quo ſic Æſopus in ſuo apologo: Cum aper ab aſino rideretur,dixit aper:malum quidem meritus eras, ô ignaviſſime,ſed ut maxime tu pœnâ dignus, indignus tamen ego,qui dentes in te meos exacuam!

Tertia deniq; â bono patientiæ,quæ ſi in alio unquam, in Magiſtratu utiq; proponderare debet.quippe quem innumeris modis fata fatigant, ut non injuriâ exclamârit Cicero pro Flacco: O conditiones miſeras adminiſtrandarum Civitatum & Provinciarum,in quibus diligentia plena ſimultatum eſt, negligentia vituperationum,ubi ſeveritas periculoſa,liberalitas ingrata,ſermo inſidioſus,aſſentatio perniciosa,fraus omnium familiaris,multorum animus iratus! Ubi ſtatim ſuccumbere velle,aut effractis repagulis fugam capeſſere,hominis eſt puſillanimis,& plusquam effœminati.tum potius digna eſt ingenti conſtans patientia laude. Similẽ tum eſſe oportet Adamanti,de quo lapide Phyſicorũ filij, quòd tantâ ſit duritie,ut incudibus impoſitus,malleorum ictus eludat, ipſosq; adeò malleos frangat,& incudes in partes diſſilire faciat:quare nomen ei inditũ â particula negandi α,& Verbo δαμάζω, domo,quaſi malleo & igni indomabilis. Eôdem modô Vir. Reip. Præfectus, ſit animatus,& de ſe prædicare paratus:

*Nil mihi durius est certae: diffringitur Incus,*
*Et rimas, qui me malleus icit, agit!*

Livius πλεονάκις non fruſtrà ſcriptum reliquit, non aliud â cæde ac dimicatione homines magis continere,niſi patientiam Magiſtratuum, quòd cedant interdum præſenti furori atq; audaciæ paucorum, & vinci ſe quaſi patiantur, comitiaq; ſuſpendant,l. 25.c. 4. p. 278.

Porrò ratiunculæ,quæ propriæ abdicationi prætexebantur,ô ſunt tanti valoris,ut eam excuſent.Non prima,quòd ſalubribus ſuis conſiliis nullũ locum inveniat.Idem enim & ſenioribus Rehabeami Conſiliariis evenit, quorum licet conſilia fuerint ſaluberrima,tamen omni effectu eos deſtituerunt: prævaluerunt juniorum, utut noxia, & cum Regni detrimento eſſent conjuncta, 1.Reg. 12. Nec aliter Domino & Salvatori noſtro Chriſto contigit, qui ſaluberrima conſilia, ad animæ etiam ſalutem facientia,Judæis impertitus eſt, ſed quo effectu? ut conqueri neceſſe habuerit: cecinimus vobis, & non ſaltâſtis; lamentati ſumus vobis, & non planxiſtis, Matt. 11.ỷ.17. Satis eſt Conſiliario,ſi adducat conſilia,quæ novit eſſe honeſta,& Legi divinæ cõgrua, nec non publico bono proficua, eaq; pro virili ſua promoveat, ſive jam in aliis locum inveniant, ſive non inveniant, ipſe tamen culpâ apud De-

um

um vacabit certiſſimè quippe qui ſtudium duntaxat ab homine requirit, nō profectum, juxta Ambros. l. 1. de Virginit. â princip.

Nec ſecunda, quòd actionibus ſuis, licet ad Conſcientiam & ſalutem pub. conformatis, nihil proficiat, ſed communiter à deterioribus vincatur. An mirum hoc, aut tàm probroſum? quaſi verò non ferè ſemper pars melior vincatur à deteriori! audi ſuper hoc Prophetam: Inimici mei viventes roborantur, & reddentes malum pro bono, adverſantur mihi, eò, quod ſequor bonum, Pſ. 38. ℣. 21. Ipſi ponunt in Cœlum os ſuum, & lingua eorum ambulat in terra, ideò vertitur populus ejus huc, & aquæ pleni calicis exprimuntur illis, id eſt, explicante Geſnerô, applauſum impii vulgi ſibi comparant, quod inſtar aquæ ſive torrentis magno agmine confluit, Pſ. 73. ℣. 10. Interim, quia hoc plerumq; accidere ſolet, tùm, quando pars melior votorum pluralitate exſuperatur. (obtinet enim pænè ubiq; vulgare illud: Pars major concludit) valdè in rem erit, ut, quibus Conſcientia & fama cordi eſt, initiò modeſtè contradicant, ſibi de negotio aliter videri, idcircò petere, ut bonâ cum gratiâ etiam ſui animi ſenſa liceat exprimere: in quibus id agent potiſſimùm, ut appareat, contradictionem non à voluntate aut pravis affectibus, ſed ab intellectu, eoq; ſano & incorrupto, eſſe profectam: quòd ſi verò contradictione hac ſua nihil præſtiterint, id porrò operam dabunt ſtrenuam, ut intercedant Senatus-conſulto, ne res judicata mandetur executioni, allegatis probatiſſimis rationibus, quid boni ſubſecuturum ſit, ſi reſcindatur, aut ſaltem ſuſpendatur, quid mali, ſi judicatum præſtetur. Quòd ſi ne ſic quidem aliquid obtinuerint, quin invitis ipſis & proculcatis rationibus etiam ponderoſiſſimis, judicatum habeatur ratum, ultimum erit refugium, multitudini cedere. Bacchæ bacchanti enim ſi velis adverſarier, ex inſana inſaniorem facies; feriet ſæpius! cedere verò, cum hac conditione, ut totum negotium, cum ſingulorum votis momentisq; eorum, diligenter referatur in Protocollum, annexâ ſolenni proteſtatione, partem contraeuntium nullam præſtare velle culpam, ſi res ſecus cadat ac putabatur! Hoc enim modo, etiam cum retenta pub. adminiſtratione rerum, Conſcientiæ ſuæ ſatis ſuperq; conſulent, & fidem apud omnem poſteritatem, quicquid etiam ſiniſteritatis accidat, ſartam tectam cuſtodient.

Nec tertia ratiuncula hilum proficit, quòd locò gratitudinis, omnis generis injurias devorare cogatur. Hæc ſcilicet communis merces omniū de Rep. bene meritorū; cōſule experientiā, & teſtabitur, nullos unquā vel indignius, vel iniquius tractatos fuiſſe, quàm eos, quorū maxima extiterūt in Rep. merita. Agnoſcens hoc Nicocles, pater Themiſtoclis, ut tantò facilius filiū à Rep. gerenda deterreret, oſtendit illi in litore Maris veteres triremes abje-

 ctas

Weltlich/ mit fleiß ſcheiden/ und beides bleiben laſſen/ Eins/das fromb macht/das Ander/das euſſerlich fried ſchafft und böſen wercke wehret: keines iſt ohn das ander gnug in der Welt. Dañ ohne Chriſti geiſtlich Regiment kan Niemand fröb werdẽ für GOtt durchs weltlich Regiment. So gehet Chriſti Regiment nicht über alle Menſchẽ: ſondern allzeit iſt der Chriſtẽ am wenigſtẽ und ſind mittẽ unter deñ Un-Chriſtẽ. Wo nu weltlich Regimẽt oder Geſetz allein Regieret, da muß eitel heuchcley ſein/wenns auch gleich Gottes Gebot ſelber werẽ. Deñ ohne den H. Geiſt im hertzen/ wird Niemand recht fromb/Er thue wie feine werck Er mag: Wo aber das Geiſtlich Regiment allein regieret über Land und Leüt, da wird der Boßheit der zaum loß/ und raum geben aller Büberey. Dann die gemeine Welt kans nicht annehmen noch verſtehen/ Tom. 2. Jen. Germ. f. 175. Vult dicere divinus Vir, diſtincta quidem eſſe officia, Eccleſiaſticum & Politicum: at ità comparata, ut unum abſq; altero in propagatione Religionis parum proficiat. Quid enim Politicum, per ſe ſolum, cum vi ſua armata aliter ſecus efficiet, quàm ut hypocritas progeneret, qui magis formidine pœnæ, quàm pietatis amore, religionem ſimulent? quid Eccleſiaſticum per ſe ſolum, cum omnibus ſuis moralibus exhortationibus & increpationibus, quàm ut effrenes, qui omnes lupatos excutiant, & vitam ducant, ut volunt? Ergò neceſſe eſſe, ſi Eccleſia cum fructu velit ædificari, ut gemina iſta officia conjungantur, i. e. operas conferant, & mutuum auxilium inter ſe commodent, ità, ut in Miniſterio conſtituti fideliter prædicent ſermonem, inſtent tempeſtivè intempeſtivè, arguant, objurgent, exhortentur cũ omni lenitate & doctrina, donec auditores corũ hypocriſin abjiciant, & cœleſtem veritatẽ puro corde imbibant: q verò Reip. præſunt, nervum addant, & debitam ſolicitudinem adhibeant, ad rem cœptam ritè perficiendam, quò ſubditi minus efferentur: ſed jugũ, de quo Dominus: jugum meum facile eſt, & onus meum leve, Matt. 11. ℣. 30. obedienter ſubeant, & conſtanter ſuſtineant. ſic demum fiet, ut quieta & tranquilla vita tranſigatur in omni pietate & honeſtate!

Dum verò Lutherus Magiſtratui chriſtiano, quoad religionem, aliquas partes aſſignat, non hoc vult, ut ipſi liberum permittat, etiam in ea involare, quæ Miniſterii Eccleſiaſtici ſunt propria. Novit enim probè, quàm malè ceſſerit hujusmodi ἀλλοϊεραρχία Sauli, qui ſacrificare præſumens, regali dignitate dehonoratus eſt, non expectans principem Sacerdotum Samuelem, 1. Sam. 13. ℣. 12. 13. quàm malè item Oziæ, qui leproſus factus eſt, quòd contra ſacerdotes, ſacerdotium auſus eſſet ſibi arrogare, 2. Par. 26. ℣. 19: Sed ut ea tribuat, quæ ductu Scripturæ tribuenda veniunt, qualia præcipuè ſunt: veræ religionis conſervatio, & ſicubi ea fortè defecerit, aut ſaltem corrupta ſit, accurata ejusdem reſtauratio & correctio. Hæc enim ex officio Magiſtratui competere, ſequentia confirmant fundamenta. I. Quæcunq; in

 bonum

bonum ſunt populo, circa illa occupatus debet eſſe Magiſtratus. eſt enim minister Dei, Tibi in bonum, inquit Apoſtolus ad omnes ſubditos, Rom. 13. ℣.4. ubi nota, indefinitā hîc poni enunciationem, & nō unum aliqꝫ bonum exprimi, ſed quodvis, ut ſignificetur, Magiſtratum miniſtrum eſſe Dei, non in unum ſolummodò bonum ſubditorum, ſed in quodvis convenienter promovendum. Atqui religionis conſervatio, & abolitæ reſtauratio, corruptæ item correctio, ſunt in bonum populo. conducunt enim ad inducendū ſpirituale ejus bonum, & animæ ſalutem. Er. &c.

2. Per quæ Magiſtratus cives ſuos bonos & felices poteſt efficere, circa ea etiam debet occupari. In eo enim conſiſtit ſalus populi, quæ inſtar ſupremæ legis oberrat. Atqui nō per bonum corporale tantùm, excluſo ſpirituali: ſed per corporale & ſpirituale ſimul, poteſt ſuos cives bonos & felices efficere. Tunc n. floret civitas, quādo datur Regib⁹ ſal⁹, & redimuntur è manib⁹ ſuorū hoſtium: quando filii ſunt, ſicut plantationes, auctæ in adoleſcētia: filiæ ſicut anguli exciſi inſtar palatii: quando anguli noſtri pleni, producentes de ſpecie ad ſpeciē: greges noſtri parientes mille decē millia in plateis noſtris: boves noſtri onuſti carne: non ſit ruptura, nō ſeditio, nō clamor in plateis noſtris. præcipuè beat⁹ popul⁹, qui ſic eſt, ut ejus Deus ſit Jehovah. Hoc verò ratione nullâ aliâ contingit, quàm Religionis conſervatione, aut reſtauratione & correctione, Pſ. 144. ℣.10. cum ſeqq. Er. &c. Atq; hoc eſt, qꝫ vulgò dici ſolet, Magiſtratui demandatam eſſe utriusq; tabulæ cuſtodiam, quarum prior, circa bonum ſpirituale, poſterior, circa corporale verſatur. id quod penſi habentes nonnulli Reges de Gentilibus, vel naturæ inſtinctu ipſi ſe non modò Civilium, ſed & Eccleſiaſticarum rerum curis *αὐτοπροσώπως* ſubjecerunt, teſte Ariſtotele l. 3. Pol. c. 1.

3. In quo pii Reges non modò ſub veteri, ſed & ſub novo Teſtamento Magiſtratui præluxerunt, in eo meritò illos ſequitur. etenim

*Quid vetat, à magnis ad res exempla minores*
*Sumere, nec nomen pertimuiſſe Ducis?*

quærit Ovid. l. 3. art. ℣.525. At in ſuſtinenda cura religionis conſervandæ, aut abolitæ reſtaurandæ & corrigendæ, ei præluxerunt utriusq; Teſtamenti pii Reges. E. &c. Minor multis exemplis poſſet comprobari, ſufficiant autē pauca ſequentia Moſes, princeps populi Iſraelitici, verum ſenſum & cultum de Deo, in quo totius Religionis nervus ſitus eſt, promulgavit, eumq; Aaroni præſcripſit in Pentateucho. David, tabernaculi miniſteria diſpoſuit, & populum paternè informavit, ut præberet cor ſuum & animam ſuam ad requirendum Jehovam Deum ſuum, 1. Par. 23. ℣.19. arcam ſolenniter reduxit, 2. Sam. 6. ℣. 2. Levitas, curatores, janitores & alios ordines conſtituit, 1. Par. 23. ℣.3. cum ſeqq. & hæc talia peregit juxta conſilium, teſtimonium

rum divinorum, ad quæ ſubinde provocare ſolebat, dicens: Teſtimonia tua ſunt delectationes meæ, & Viri conſilii mei, q.d. ego omne conſilium meum ex illis peto, Pſ. 119. ℣. 24. Aſa hanc Legem de Religione ſacratiſſimè pronunciavit: Si quis non quæſierit Dominum DEUM Iſraelis, moriatur, 2. Par. 15 ℣. 13. Joſaphat totius Regni ſui ſtatum in duplicem ordinem redegit, nempe in Eccleſiaſticum & Politicũ: illius, diribitorẽ conſtituit Amariã, hujus, Zabadiam, 2. Par 19. ℣. 11. Joſias reformationẽ ſuſcepit, idola ſubvertit, oſſa Sacerdotum Baal combuſſit, principes conſiliarios ad inſtaurandam domum Domini miſit, & tandem ſacerdotes conſtituit, eosque in miniſterio Templi confirmavit, 2. Par. 34. ℣. 3. 4. 8. & ſeq. 35. ℣. 2. De Conſtantino M. Euſebius in genere pronunciat, quòd Epiſcopis præſcripſerit ea, quæ ad Eccleſiarum commodum ſpectabant, l. 3. de Vit. Conſt. c. 23. In ſpecie quoad dirimendam hæreſin Arrianam, quòd pro poteſtate imperatoria ſynodum convocaverit, cauſæ cognitionem injunxerit, normam, juxta quam judicium formandum, determinaverit, totum actum ſuâ autoritate gubernaverit, & tandem latam ſententiam confirmaverit, & certis pœnis & legibus communiverit, l. 3. de Vit. Conſtant. c. 16. & ſeqq. Theodoretus de eo ſcribit, quòd non ab hominibus, neque per hominem, ſed cœlitùs à DEO, more ſancti alicujus Apoſtoli, ad illius muneris adminiſtrationem vocatus fuerit, ut Eccleſiis pacificandis autor eſſet, l. 1. HE. c. 2. Theodoſius Imp. qui multis laboribus & periculis mediocrem effecit tranquillitatis ſtatum, tam in Eccleſia, ab hæreticorum turbulentis actionib⁹, quàm ab hoſtium inſidioſis ac perfidis incurſionibus, cupiens eam felicitatem ad poſteritatem transmitti, filios ſuos, Arcadium & Honorium, accerſitos jam moriturus, ardentiore affectu & oratione magis ſeriâ cohortatur, per ſalutem ipſorum & Reip. obteſtans, ut ſua veſtigia inſequentes, hoc ſibi unicè curæ eſſe vellent, quò fidei & pietatis doctrina, pura & incorrupta conſervaretur, & ad poſteros propagaretur, & in eo conando nullis laboribus ac ſumptib⁹ parceretur, apud Theodorit. l. 5. HE. c. 25. quo facto eã laudẽ apud Ambroſiũ promerit⁹ eſt, ut, in parentatione ipſi⁹, dicere non ſit verit⁹: Dilexi virum, qui cum jam corpore ſolveretur, magis de ſtatu Eccleſiarũ, quàm de ſuis periculis angebatur, T. 3. Oper. de Obit. Theod. p. 51.

Caroli M. ſedulitas circa res Eccleſiaſticas ritè ordinandas, vel ex iis ſatis conſtat, quæ Aventinus, pontificius ſcriptor, de ipſo commemorat, nimirum, quòd univerſos V. & N. Inſtrumenti libros, librariorum Imperitiâ, lectorum oſcitantiâ, interpretũ inſcitiâ, & incuriâ temporum depravatos, ad amuſſim & veritatem fontis correxerit: nec ſiverit, in divinis lectionibus templisq;, inter ſacra officia, inconditos ſolœciſmos, barbariſmosq; inconcinnos obſtrepere: quòd conventus Epiſcoporum & Sacerdotũ per regnũ

Mogun

Moguntiaci, Turonis, Rhemis, Cabillone, Arelatico egerit: de vita, moribus, honeſtate ſacerdotum pleraq; ſtatuerit, & ne hiſce legibus fraus ulla fieret, ſummoperè caverit: quòd in Epiſcoporum ſenatum haud temerè quempiam adlegerit: eruditionem atq; bonitatem, in coöptandis illis, potiſſimû reſpexerit, & neminem, niſi ſibi antea probatum & cognitum, probaverit, eum ordinem ad priſtinum modum & ſplendorem, à *D.* Paulo præſcriptum reducens: quòd curioſè caverit, ne quis avarus, aut ambitioſus, luxûve perditus, unquam Pontificalem apicem adipiſceretur: quòd, quendam pridiè feriarum D. Martini deſignatum Epiſcopum, quòd is, auctus tantâ dignitate, amicis cœnam exhibens, & uti fit, mero ſeſe nimium onerans, ſomno deinde oppreſſus, noctu divinis rebus non interfuiſſet, rurſus ſacerdotiô moverit; intolerabilem negligentiſſimumq; fore ratus, qui primo die ſibi non temperaret, ut, ſui compos, *D*EUM ad iracundiam non provocaret. Item, quòd alium lætiorem ob pontificatum, atq; geſtientem, & ab humo in equum absq; ſcamno, ſive ſubpedaneo, uno impetu ſubſilientem, revocaverit, dixeritque: vales, ut video; viribus, & eques haud malus es; tuâ operâ in bellis, ubi tua virtus eniteſcat, indigeo; proindè ignobili & imbecillo oves & gregem Domini relinque: deniq;, quòd ſanciverit, ut Pontifices ipſi officiô publicè in Templo docendi plebem fungerentur, nec nô ſacerdotes, avaritiam, gulam, cauponas, negotia prophana, familiaritatem mulierum evitarent; aut ſacerdotiô cederent, aut tribu moverentur &c. lib. 4. Annal. Bojorum, p. 279. 284. Hæc & ſimilia utiq; ſunt merè Eccleſiaſtica, circa fidem partim, partim circa ritus & decorum in Eccleſia verſantia, de quibus prænominati Imperatores ex officio liberè diſpoſuerût: Neq; in hoc eos prævaricatos eſſe, aut temerè rebus, ad ſe non pertinentibus, immiſcuiſſe, facilè quisquam dixerit. Rectè igitur Chriſtiani Magiſtratus, pro ſuo quisque loco ac tempore, horum exempla etiam imitabuntur.

Neq; eſt, ut excipias I. feciſſe hoc Principes de facto, non de jure. Reſpondeo, primò: parcius de tantis Viris! qui enim de facto aliquid facit, ſine juris poteſtate, ille officii limites tranſilit, & πολυπραγμοσύνης crimen incurrit: quod de tam piis Imperatoribus non præſumendum! Deinde, qui demandatô ſuô officiô fungitur, is non de facto tantùm id facit, ſed legitimô jure nititur. At, dum Magiſtratus Pol. debitam Religionis curam ſuſcipit, fungitur demandatô ſuô officiô, quod eſt, cuſtodem ſe præbere utriusq; tabulæ Decalogi, & omne Subditorum bonum pro virili ſua promovere, Deut. 17. ℣. 19. Rom. 13. ℣. 4. Hinc etiam Imperatores ad hoc ſuum jus ſubindè provocant: inſpiciantur cumprimis initium L. 3. Cod. de SS. Trin & L. 43 de Epiſc. & Cler. item, præfat. Nov. 137. & quæ in hoc genere diſponunt, ſub titulo τῶ θειῶν νομοθετῶν venditant, in fine procemii L. 44. C. de Epiſc. & Cler. Et. &c.

Vel

Vel 2. Principes in hoc præſtitiſſe ſolummodò defenſionem Eccleſiæ, & tuta halcyonia procurâ ſe, nullam autem poteſtatem jurisdictionis exterioris exercuiſſe, & per C. nihil etiam poteſtatis eccleſiaſticæ habuiſſe. Reſpondeo, ſi poteſtatem jurisdictionis exterioris exercere id eſt, quod Becanus definit, ac Synodos convocare, cauſas cognoſcere, obortas controverſias dirimere, beneficia conferre, pios miniſtros conſtituere, & impios removere, in Man. l. V. c. 19. n. 2. tunc pii Principes illud ſemper habuerunt & exercuerunt, donec aſtu pſeudoreligioſorum eis fuit extortum, quemadmodum allegata exempla luculenter oſtendunt: Et quidem habuerunt atq; exercuerunt de jure competente. nam quaſi unô ore profeſſi ſunt, decere ſe, Subditos ſuos de Religione commonefacere, & ad eam rectè inſtituere, necnon ſanctiſſimarum Eccleſiarum & piiſſimorum monaſteriorũ decori conſulere, cum Theodoſio, Valentiniano & Juſtiniano, in L. 3. C. de SS. Trin. & L. 44. C. de Epiſc. & Cler. Audiantur quæſumus, quæ ſuper hoc negotio egregiè profatur Demetrius Chomatenus, Archiepiſcopus Bulgariæ ad Conſtantinum Cabaſilam: Imperator, inquit, ut communis in Eccleſiis ſapientum Princeps, & re & nomine, Synodorum placitis præſidet, & autoritatem ipſis largitur: eccleſiaſticas ordinationes diſponit & legem ponit vitæ atq; officio illorum, qui altari inſerviunt: quin & judiciis Epiſcoporum & Clericorum, & elocationi Eccleſiarum vacantium. Promovet inſuper, â minori dignitate ad majorem, puta, ab Epiſcopali ad Metropolitanam, honorem eum exhibens aut urbi aut homini. In ſumma, exceptâ duntaxat ipsâ ſacrorum functione, cætera omnia jura pontificalia manifeſtè repræſentat Imperator, quibus in rebus agit convenienter & Legibus & Canonibus. Hactenus Archiepiſcopus, ex citatione Illuſt. Hug. Grotii, in præmiſſis Ordinum Hollandiæ Pietatis. Ergò indè ſequitur, Principes pios non tantùm præſtitiſſe, quæ, defenſionis ergò, illis incumbebant: ſed quæ præterea, ad res etiam eccleſiaſticas ritè diſponendas & adminiſtrandas videbantur pertinuiſſe.

Vel 3. hoc modo permiſceri diſtinctas Hierarchias, & ſtatum Politicum confundi cum Eccleſiaſtico. Reſpondeo, nullam fieri permixtionem, nullam confuſionẽ. manent ſtatus politicus & eccleſiaſticus in ſe tam diſtincti, ut πολιτικὴν δὲ τὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν, ſit, συγκλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα i. e. Politiam cum Sacerdotio conjungere, ſit conglomerare ea, quæ conglomerari nequeant, ut loquitur Suidas in πολιτικός; non tamen ſunt contrarii, alioquin ſe mutuò tollerent: At verò, quoad exercitium poteſtatis jurisdictionis exterioris, ut vocant, ità conſpirant, ut mutuas ſibi tradant operas, ſervatô tamen etiam tunc diſcrimine autoritatis ac expedientiæ. Nam Magiſtratus Politicus habet ſe tunc ἀρχιτεκτονικῶς, pro autoritate, divinitùs

ſibi conceſſa, diſponens, quæ Scripturis conformiter vult in Eccleſia peragi; Eccleſiaſticus verò διακονικῶς, cum debita reverentia exequens, quicquid ipſi â Superioribus, juxta Scripturas, erat propoſitum atq́, injunctum. Gerit enim ſe hîc Magiſtratus Politicus, inſtar Patrisfamiliás; Eccleſiaſticus, inſtar Oeconomi. Paterfamiliâs in ſua domo diſponit & ordinat, prout novit, ſingula familiæ ſuæ expedire, & deinde eorundem adminiſtrationem Oeconomo demandat, qui fideliter exequitur, quæ ab Hero in mandatis acceperat: *Sic* Magiſtratus Politicus in domo *Domini* diſponit, quæ ex Scriptura ſcit, ad DEI honorẽ & Eccleſiæ ædificationem proficere, & eorũ adminiſtrationem tradit in manus Miniſterii eccleſiaſtici: illud porrò Oeconomiam adhibet, & ſingula ea fidelitate diſpenſat, quâ DEO & Magiſtratui diſpenſari perplacet.

Vel deniq́; præberi ad eum modum Epiſcopis, occaſionem invadendi jura Principum. Si enim Principibus licitum eſt uſurpare jura Epiſcopalia, quid prohibebit, Epiſcopos ſimiliter õ uſurpare jura Principalia? Reſpodeo: nulla à nobis ſtatuitur invaſio, nulla ἀλλοτριοεπισκοπὴ, nulla iniqua uſurpatio. Nam exercitiũ poteſtatis juriſdictionis exterioris in Eccleſia, o pertinet propriè ad jus epiſcopale, utpote ꝙ cõſtat actibus merè-eccleſiaſticis, & internè talibus, ut ſunt, docere Verbũ & adminiſtrare Sacramẽta: hoc ſolis Epiſcopis ſartũ & inviolabile relinquendum: ſed comune eſt cum jure piorũ Principũ, & habet ſe ad eorum officiũ, ſicut pars ad totũ, eatenus, ut niſi illud debitis modis peragant atq́; obeant Epiſcopi, ille aliquando ab eis rationẽ exacturus ſit, qui eorũ poteſtati Eccleſiam ſuam tradidit, verba ſunt Iſidori l. 3. ſent. c. 53. Cum autẽ ſimilis juris in adminiſtrandis negotiis ſecularibus, nullas tabulas poſſint exhibere Epiſcopi, imò contrariũ illis præſcribatur ab Apoſtolo: Eſtote milites, q non implicentur negotiis hujus ſeculi, 2. Tim. 11. 4. Meritò eis occentatur illud Ottonis Friſingenſis, dicentis. perſcrutatus ſum tota Biblia, nusquam vidi, religioſis vel gladiũ. vel jus Magiſtratus attributũ. Itaq́; quô tueri argumentô velint, õ video, niſi Davidis æmulatione ſe facere dicant, qui, gladiô Goliathô extortô, caput eidem amputavit: ſic illi, Principibus ereptâ majeſtate, adverſus ipſos eâ utãtur, in prolog. l. 7. Chron. p. 139.

## *VII.*

## Utrùm Magiſtratus, etiam ſupremus, cogere poſſit Evangelicos bonâ cum Conſcientiâ, ad frequentanda Pontificiorum Templa?

Solet

Solet Satanas, inſtar Protei cujusdam, in multas ſe formas transfigurare, præcipuè verò interdum leoninam, interdum vulpinam aſſumere. Aſſumſerat hactenus in germania noſtra leoninam, & per varia perſecutionū genera, conabatur *E*vangelicos in Pontificiorū caſſes pertrahere: cum verò ſentiret, illud minus ex voto ſuccedere, violentum quid ſpirare, regiones incolis ſuis denudare, & cumprimis Pacificationi Paſſavienſi adverſari, vi agere velle adverſus eos, qui papatui nuncium miſiſſent, & religionem Lutheranam amplexi fuiſſent, exuit priſtinam formam, & novam, vulpinam videlicet, induit, perſuadendô hominibus per ſua organa, intereſſe Magiſtratus Politici, & inter hunc, potiſſimùm *Cæſaris*, utpote cui ſuprema cura tam Politiæ, quàm Religionis incumbat, cultum divinum pro viribus promovere, quod cum commodiori ratione fieri vix poſſit, quàm per auditum ſacrarum concionum, per quem utiq; Spiritus S. ſit efficax, fidem in auditorum animis accēdens & perficiens, quando ſibi viſum; omninò ſui officii eſſe, omnes Subditos, & inter hos etiam Evangelicos, eò adigere, ut Templa catholicorum diligenter frequentent, & eorum concionibus ſedulò intendant, donec orthodoxam fidem concipiant & in ſalutaria Eccleſiæ membra evadant. Hinc multis locis factum eſt, ut Evangelici aut ſedibus ſuis deturbati, & in exiliū, quod illi beneficium emigrationis interpretantur, pulſi; aut, ſi apud domeſticos lares commorari voluerint, in Templa detruſi & coacti ſint, ut Sacris eorū intereſſent, & religionis pontificiæ plenos tubos imbiberent. Rationes, quibus præ aliis innitebantur, ſequentibus ſuperſtructæ erant fundamentis:

I. Teneri ad id Cæſ. Majeſt. ratione officii & interpoſiti juramenti, quô ſe obligavit, cunctos populos, quos clementiæ ſuæ regit imperium, in tali velle religione verſari, quam *D.* Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis conſtet, L. 1. cunctos. *C.* de Summa Trin.

II. Ejuſmodi frequentationem Templorum, ſymbolum eſſe non fidei, ſed obedientiæ erga Imperatorem, & reverentiæ erga tam antiquum cultum, quem tot Proceres imperii â multis ſeculis exercuiſſent, & adhuc exercerent quàm devotiſſimè: ad quos meritò applicari poſſit illud Jobi: interroga obſecro ætatem priorem, & præpara Te inquiſitioni *P*atrū eorū, ipſi docebunt Te, ac dicent Tibi, & è corde ſuo proferent eloquia, c. 8. ℣. 8.

III. Non eſſe coactionem, quia non fiat ad fidem ipſam, ſed ad mediū fidei, auditum ſcilicet Verbi. de qua diſtinctione ità Gerhardus: alia coactio fit ad fidem, alia ad fidei media, auditum ſcilicet Verbi divini: illa non poteſt obtineri, ergò ō debet ſuſcipi; hæc verò pii Magiſtratus vigilantiâ obtineri poteſt, T. 6. de Magiſt. Pol. §. 333. p. 1074 cui gemina pænè habet B. Auguſt. ad Donatū, Affricæ Proconſulem, in hunc modū pſcribens: Ex occaſione terribilium judicum ac legum, ne in æterni judicii pœnas incidant, corri-

gicos cupimus,non necari,nec diſciplinam circa eos negligi volumus, ut ſint,quos pœniteat peccâſſe,T.2.Ep.127.col.644.

IV. Non ſine commodo conciones Catholicorum audiri.etenim ſic doctrinâ,ex ipſis pontificiis,ceu alterâ parte auditâ,poſſe tunc hominem evangelicum,eò melius judicare de veritate ſuæ religionis,ſecundum illud:contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Cur verò idem non permittatur catholicis auditoribus,ut concionibus Evangelicorum ſe immiſceant,in promtu cauſam eſſe,quòd prædicantes Lutherani non fideliter mentem Pontificiorum explicent,ſed ſubinde novum & alienum ſenſum illis affingant,et per id vel ſimpliciores perturbent, vel priſtinum dogma ſuſpectum ac exoſum reddant.Et,quomodo Antiſtites eorum audebunt fidem inſinuare, quâ non habent?non injuriâ quærimus ex L 2.C.de Hær.

V. Deum etiam per Miniſterium, publicè corruptum ſibi conſervare poſſe ſemen ſanctum,prout Evangelici ipſi doceant, idq; exemplô Papatus ante Lutherum,nec non Phariſæorum & Scribarum ante Chriſtum illuſtrare ſoleant:nihil itaq; periculi ſubeſſe, licet ſui etiam catholicorum templa inviſant,omnia probent,quod bonum eſt teneant, paleas relinquant,triticum eligant,illudq; bonô & honeſtô corde conſervent,& fructum aliquando proferant in patientia.

Utut autem hæc ſatis ſpecioſè proponuntur,tamen plena ſunt præcipitii,quæ facilè Evangelicos ruinâ involvere poſſint,niſi in tempore ſibi proſpiciant. Obverſatur n.animis eorum I.periculum latentis Abnegationis, qui per ejusmodi mandata,quaſi per indirectum,ad profeſſionem fidei ſuæ edendam incitantur,adeòq; in puncto Confeſſionis collocantur, in quo quilibet ſemper & ubiq; paratus eſſe debet,ad reddendam rationem ejus ſpei, quæ in ipſo eſt,1.Pet.3.℣.15 quòd ſi vero illi fidei ſuæ profeſſionem edere tùc detrectent,aut aliud quid ſimulent,ſive verbis id faciant,ſive opere, ſive ſub quacunq; alia ſpecie & conniventia, certè aliter fieri non poteſt, quin veritati præjudicent,tacitè Chriſtum abnegent, & mandatum divinum, Matt.10.℣. 32.33.turpiter violent.

II. Periculum incautæ Ambulationis. Præſcripſerat enim diſertis verbis Paulus Corinthiis ſuis,& juxta illos,omnibus Chriſtianis,viam, quam inambulare deberent,ne offenderent,nempe nullum jugum ducere cum infidelibus,2.Cor.6.℣.14.quid hoc eſt dicere? audi interpretationem Cornelii à Lapide Jeſuitæ:Eſt,ſeparare ſe ab infidelium cœtibus, Templis, ſacrificiis, conviviis,conjugiis,omniq; eorum commercio,vel per ſe impio & injuſto, vel periculoſo aut ſcandaloſo, ſuper h.l. Ergò,qui frequentant cœtus & templa Pontificiorum,tanquam â vera fide alienorum, â præſcripta via exorbitant,& inordinatè ambulant.De Converſis primitivæ Eccleſiæ ſcribit Irenæ-

us,

us;quòd ſi aliquis annunciâſſet illis, quæ ab hæreticis adinventa, ex proprio eorum ore colloquens, ſtatim concludentes aures, longo longius profugerint, ne audire quidem ſuſtinentes blaſphemum colloquium, L.3.contra Hær c.4.p.172. Quid non facturi fuiſſent, & quàm longè ſeceſſuri, ſi quis, ad audiendas integras heterodoxorum conciones, eos adigere voluiſſet?

III. Periculum Colluſionis. Evangelici enim quando Pontificiorum ſacris interſunt, in doctrina utcunq; conſentire præſumuntur. quid enim juvat, alteri tam frequentes aures accommodare, ſi ejus ſermo nullũ apud me conſenſum mereatur? Et ſi præterea eorundem ceremonias eccleſiaſticas exprimunt, quales ſunt: aquæ benedictæ aſperſio, genuflexio, pectoris contuſio, crucis ſignatio &c, colluſionis convincuntur. nam etiam adiaphora, in gratiam Adverſariorum uſurpata, in puncto confeſſionis inficiunt, & conſpirationis arguunt. Hinc Jodocus Lorichius de ceremoniis eccleſiaſticis ſcribit, inter cætera & hunc earum eſſe uſum, ut fideles ab infidelibus, catholici ab hæreticis, manifeſtô queant diſcerni officiô, & hi ab illorum communione ſejungi, Diſp. de Ceremoniis Eccl. in genere, C.4.T.91. & addit T.94 quòd ſicut facilior fictio in verbis, quàm in factis: ita certior quoq; ſit teſtificatio factorum, quàm verborum. Nam qui ſe dicat Chriſtianum eſſe, atq; catholicum, & nihil eorum faciat, quæ chriſtiani catholici facere conſueverunt, hujus ſuſpectam ac vanam eſſe fidei profeſſionem: Qui autẽ cum chriſtianis catholicis communicet in factis, tametſi non interrogatus, nulli dicat ſe chriſtianum catholicum eſſe, tutò tamen poſſe talem haberi!

IV. Periculum Defectionis. Valdè enim timendum, ne ejusmodi concionum papanarum frequentatio, & uſus, ſit initium & gradus ad coactionem ulteriorem. Terrent enim veſtigia exemplorum, et experientia loquitur, ab his principiis itum fuiſſe ad aſperiora, & tandem vel armatâ manu religionis conſenſum extortum, vel emigrationis beneficium vel exilium intentatum. idcircò hîc probè attendendum erit illud ſcitum: Principiis obſta!

V. Periculum ſiniſtræ Suſpicionis. Ab omnibus Chriſtianis & cõſequenter etiam ab Evangelicis, requirit ſpiritualis prudentia, ut õ tantùm à malo, ſed etiã ab omni ſpecie mali abſtineant. Satanas enim ex omni parte chriſtianis inſidiatur, & quos õ poteſt cõjicere in aperta crimina, de illis conatur ad minimum ſiniſtrã aliquam cõcitare ſuſpicionem, dummodò maculã inurat & Chriſtianiſmum collutulet. Contra hunc Evangelicos vigilare oportet, & in id incumbere, ut qualemcunq; etiam mali ſuſpicionem evitent, ne Evangelium Chriſti ullô modô propter eos malè audiat: adeoq; etiamſi frequentatio templorum Pontificiorum in ſe nõ eſſet res mala, neq; Confeſſionis ſymbolũ (ꝙ tamen perperã negatur) nihilominus ab illis evitari,

tari, quia ad minimum ſpeciem talis labeculæ præ ſe fert. Quia igitur tot pericula circumſtant frequentationem Templorum pontificiorum, utiq; ab Evangelicis bonâ cum conſcientiâ nô poteſt ſuſcipi, nec per Conſequês, â Magiſtratu, cujuscunq; ſit autoritatis, etiã imponi. Nam hoc perpetuò ſibi conſtat, nihil cum bonâ conſcientiâ poſſe imponi, quod ab altero bonâ cum conſcientiâ non poſſit ſuſcipi!

Rationes in contrarium adductæ, nil ſtringunt. Nô prima: quia Imperatoris intereſt, ô qualêcûq; religionẽ, aut quæ nomine tenꝰ ſolùm Petrinã audit, ꝓmovere: ſed quæ vera eſt, & in fide Petri fundatur. Nõ n. qui cathedrã Petri occupant, extemplò veri ſunt Chriſtiani; ſed qui fidem ejus imitantur. hinc in L. 1. C. de ſum̃ Trin. ſtatim añectitur: ut ſecundũ Apoſtolicã diſciplinã & Evangelicã doctrinã &c. credamꝰ. Quia autẽ moderna Pontificiorum doctrina δὶς διὰ πασῶν ab Apoſtolica & Evangelica diſcrepat, ꝓut fusè ante nos demonſtratũ dederũt *Dav. Pare*ꝰ Com̃. in E Rom. p. 1432. & Lud. Scholingiꝰ in Examine canonis Concilii Conſtant. edito Amberg. An 1610 ad ejus propaginẽ nequaquã tenetur *Cæſar*, utut etiã juramento ſe obligaverit. ἄμεινον γὰρ, ἐν τοῖς ἐναγέσι τὰ κακῶς ἐπαγγελθέντα λύειν καλῶς, ἢ τὸ δοκεῖν εὐορκεῖν κακῶς, inquit *Peluſiota*, hoc eſt, præſtat in piacularibꝰ malè ꝓmiſſa benè reſcindere, quàm malè videri ſervantẽ eſſe jurisjurandi, l. 4 Ep 96. p. 46.

Nec ſecunda: Quia talis frequentatio omninò eſt ſymbolũ in fidei. teſtamur n. ejusmodi acceſſu, cui Fideliũ cœtui ſimꝰ addicti, ejusq; vocem audire, aliorũ verò declinare & vitare parati. Deinde in quibꝰ Imperatori nullã obedientiam debemꝰ, in illis etiã inobedientiæ nõ poſſumꝰ accuſari. At in mandatis contra *Deum*, Proximũ & rectam rationẽ, Imperatori nullã debemus obedientiam. quia ꝓhibet major poteſtas, nempe divina, quam etiam Imperatori in omnibꝰ præferre debemꝰ. com̃inatur enim transgreſſoribꝰ nõ carcerẽ, aut amiſſionẽ tantùm temporalis vitæ, ſed ipſam gehennã & amiſſionem vitæ æternæ! In horũ autẽ mandatorũ numerum etiam illud refertur, ꝙ eſt de frequentandis templis pontificiorũ, quemadmodũ ex adductis noſtris V. periculis abundè conſtat. Er. &c. Tertiò, in puncto Religionis, neq; ad autoritatẽ humanam, quantacunq; illa ſit, neq; ad antiquitatem, quantũvis longiſſimam, aſtringimur: quemadmodum Tertull. pulcherrimè id nobis indicat, inquiens: Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpacium temporum, nõ patrocinia perſonarũ, nõ privilegium Regionum. Ex his enim fere conſuetudo initium ab aliqua ignorantia vel ſimplicitate ſortita, in uſũ per ſucceſſionem corroboratur, & ita adverſus veritatem vindicatur: Sed Dominus noſter Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit. ſi ſemper eſt Chriſtus & prior omnibꝰ, æquè veritas ſempiterna & antiqua res. viderint ergò, quibus novũ eſt, quod ſibi vetus eſt, l. de veland. Virg. p. 445.

Nec

Nec tertia, quia utut coactio ad media fidei videatur probari poſſe ex illo Salvatoris: Compelle intrare, Luc. 14. ℣. 23. indè enim ità concludit Dn. Lucas Oſiander Senior: Magiſtratus cogere poteſt ſubditos, ut ſincerâ doctrinam audiant: ſi fortè Dominus ex auditu Evangelii veram in illis fidem accendere velit, part. 3. Bibliorũ Sac. p. 225: tamen coactio ad media falſæ fidei, nullibi poteſt exſculpi: dictum eſt potius contra: cavete vobis â fermẽto Phariſæorũ, Luc. 12: ℣. 1. Nec aliud intendit Dn. Gerhardus, qui ſtatim ſe explicat, qualia fidei media ipſe intelligat, nempe auditum, non humanarum Traditionum, aut Scripturæ corruptelarum, ſed Verbi divini. Hic poteſt fieri aliqua externa coactio, donec intus, Spiritu S. per Verbum operante, fiat illuminatio. hinc addit, locô antea allegatô, Dn. Oſiander: Sic pii Imperatores devictas a ſe impias Gentes compulerunt, ut Evangelium de Chriſto audirent; & conatui bono reſpondit eventus. Quid verò Conciones Pontificiorum? audi ſuper illis judicium ſcriptoris Pontificii Petri, Cantoris Pariſienſis, qui vixit Anno Chriſti 1190. & ita ſcribit apud Johan. Wolff. T. 1. Memorab. p. 402: Concionatores, omiſsâ ſanâ doctrinâ, ad fabulas & curioſas otioſasq; cogitationes ſeſe convertunt, easq; prædicant ac docent. obſcurant, eludunt, depravant genuinos ſacrarum literarum ſenſus &c. Ad has autẽ audiendas homines velle adigere, eſt in Apoſtolũ Paulũ invehere, ejusq; doctrinæ dicã ſcribere, ſonanti: Ne errate; cõciones pravę (ὁμιλίαι κακαὶ) corrumpunt bonos mores, 1. Cor. 15. ℣. 19. Nec per Auguſtinum hilum proficiunt, ſed potius cauſam ſuam produnt, quà magno conatu propugnant, â fide aberrantes enſe, ponto, funibus proſequendos & è medio tollendos eſſe: At Auguſtinus, eos nõ necandos, ſed corrigendos, nõ è vita tollendos, ſed in vita relinquendos & ad pœnitentiam traducendos eſſe, docet: Qua in parte, ſi ejusmodi correctio & coërcitio fiat, per media, in Scriptura conceſſa & expreſſa, nos ſibi planè habet ὁμοψήφους.

Nec quarta ſingularis ponderis eſt. Nam ſi hic concionum audiendarum apud Pontificios ſcopus & finis eſt, ut ex iis judicium fiat de veritate Religionis, utra alteri prævaleat, &, vel magis vel minus, de veritate cœleſti participet: tunc illi tantùm admittendi fuerint, qui habent ſenſus exercitatos, &, cum juſta ætate, δυνάμιν διακριτικὴν, quâ poſſint bonum â malo, pretioſum â vili diſcernere. Cum verò non omnes Evangelici tam ſint perfecti, ut aſtutam vulpem, ſub vapido pectore geſtatam, ſubitò deprehendere valeant, præſertim, ſi ſchemate, quôvis vitrô nitidiore, coloretur & pallietur: & præterea, multi inter illos ſint juniores, quorum judicium non ità ſit confirmatum, ut nôrint, quid diſtent æra lupinis, ad minimum, hi â Conventibus ejuscemodi erunt excipiendi, ad Scolon ne proficiſcantur vel ipſi, vel alios comitentur. Sed nec adulti-

oribus

oribus & confirmatioribus hujuſmodi demum acceſſus eſt neceſſarius, quia iſtis jam antea ſatis liquet, ex ſcriptis & informatione Doctorum ſuorum, immotæ ſedeat quænam ſententia menti! De noſtris quod aſſuunt, ipſos non fideliter exponere mentem Pontificiorum: ſed ſubinde alienum ſenſum illis affingere; quid? fidem aliis tradere non poſſe, cum ipſi eâ diſſituantur: prius calumnia eſt, poſterius injuria. Nam monſtretur vel unû modò, aut alterum detorſionis exemplum: aut conferantur hypotheſes, quas Noſtrates Pontificiis tribuunt, cum eorum ſcriptis, &, ſi ullius criminis falſi convicti fuerimus, publicè recantabimus, & culpam deprecabimur. De fide autem noſtra tàm ſumus certi, ut cum Apoſtolo pronunciare auſimus: Scimus, cui credidimus, & nobis perſuaſum eſt, Chriſtum depoſitum noſtrum in illum diem ſervaturum, & omnes illos ſalvaturum, qui per ſermonem noſtrum credant in ipſum. 2. Tim. 1. 12. Qui alterius nos inſimulaverit, ille tenebitur de probatione, aut, ſi ſuccubuerit, de ratione reddenda juſtiſſimo judici, qui ſub finem Mundi apparebit, ad reddendum unicuiq; prout opus ipſius fuerit!

Nec deniq; ultima: Nam aliud eſt, quando Eccleſia viſibilis ita deficit, ut Miniſterium ejus publicè ſit corruptum, ſicut tempore Lutheri; item olim, Pharisæorum & Scribarum ſeculô, contigit, ubi purum Miniſterium nullibi poterat offendi: Aliud eſt, quando hæc vel illa particularis Eccleſia deficit, quoad publicum Miniſterium: in vicinia autem aliæ reperiuntur itidem particulares Eccleſiæ, quæ verbum adhuc teneant incorruptum. De illa verum eſt, quòd Deus etiam tum, in medio perverſitatis, ſibi conſervare poſſit ſanctum ſemen, quod genua non flectat coram Baale; & quotquot in grege iſto verſantur, omnia probare, bonum autem duntaxat tenere debeant: At de hac tenendum illud Servatoris: fugite ex una civitate in aliam, Matt. X. 23. item aliud Apoſtoli, huic ſimile: Exite ex ea, popule mi, ne participes ſitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis, Apoc. XIIX. 4. Sicut enim temeritatis arguendus eſſet hic, qui turbulentam potaret aquam & infectam, cum alibi ſciret puriorem & ſalubriorem, licet aliquò uſq; ſibi eſſet excurrendum: ita nec is â temeritate, quin ne ipſa Dei tentatione, abſolvendus, qui intra muros ſe immiſceret depravatis concionibus, cum extra pomeria & in vicinia ea haberet eloquia, quæ ab omni corruptela & depravatione eſſent aliena!

Ut igitur tandem finiamus, ſic nos noſtramq; mentem declaramus: Ut in extraordinariis caſibus, quando vel ratio officii id poſtulat, vel, citra vitæ periculum, talia loca præteriri non poſſunt, Evangelico, in recta fide confirmato, integrum eſt. Templa Pontificiorum intrare, ritus ſpectare & concionibus auſcultare: ſic ordinariè & continuò ea frequentare, nec Magiſtratu-

giſtratus, qualitas etiam ſit, bonâ cum Conſcientiâ poteſt mandare, nec quisquam Evangelicorum, citra ſcandalum & læſionem Conſcientiæ ſuæ, præſtare.

## IIX.

## Utrùm Magiſtratus Politicus poteſtatem habeat in bona Eccleſiaſtica?

Per bona Eccleſiaſtica, intelligimus omnia bona, quæ & olim & nunc, ad Pias Cauſas ſunt deputata, præſertim ad ſuſtentationem Miniſterii eccleſiaſtici, ne egeſtate oppreſſum non poſſet exequi id, cui divinitùs erat addictum. Fieri enim nequit, ut unus idemq; egeat, aut, per aſſiduum laborem rei domeſticæ intendat, & ſacro ſimul ſtudio invigilet: qualiter facere tenetur ille, qui alios docere debet, nec ſe ſatis dignè ſuſtentare poteſt, inquit Luth. T. 2. Witeb. ſuper 6. Gal. & alius: Tam incompatibilia iſthæc ſunt, quàm ſimul flare & ſorbere. Quod præ cæteris probè intelligens Ludov. Pius Imp. ſuperiorib. ſeculis publicum fecit ſtatutum, ut Ædes ſacræ ſuum haberent vectigal, unde victus illis foret, qui divinis operarentur, ne ſacrorum cultus, victûs inopiâ, deſereretur; ne etiam Sacerdotes ulli turpi quæſtui ſe dederent, referente *Cuſpinianô* in Lud. Pio. Atq; eô fine potiſſimùm factæ in Eccleſia ſunt impenſæ, quæ circa annum Chriſti 470. in quatuor partes dividi cœperunt, de quibus ita legitur in jure canonico: Quatuor tàm de reditu, quàm de oblatione fidelium, prout cujuslibet Eccleſiæ facultas admittit, convenit fieri portiones: quarum una ſit Pontificis: altera Clericorum: tertia pauperum: quarta fabricis applicanda, cap. Quatuor. C. XII. q. 2. Cum autem viderent ſummi Sacerdotes, & alij, atq; Levitæ & reliqui fideles, plus utilitatis poſſe conferre, ſi hereditates & agros, quos vendebant, Eccleſiis, quibus præſidebant Epiſcopi, traderent: eò, quod ex ſumtibus eorum tàm præſentibus, quàm futuris temporibus, plura & elegantiora miniſtrare poſſent fidelibus, communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipſorum: cœperunt prædia & agros, quos vendere ſolebant, Matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumtibus earum vivere, Cap. Videntes. C. XII. q. 1. Atq; hinc prædia & poſſeſſiones Eccleſiarum! *De* omnibus hiſce bonis, ſive mobilia ſint, ſive imobilia Caſus ſuboritur, utrùm in ea Magiſtrat⁹ politic⁹ habeat poteſtatẽ? Ubi, per habere poteſtatẽ, nõ intelligimus, legitimo modo bona eccleſiaſtica diſpenſare, ut ad uſus convenientes, pios ac DEO gratos adhibeantur. Hæc enim cura, poſt profligatum Gentiliſmum, etiã ad Chriſtianum Magi-

 ſtratum

ſtratum pertinet, ut *Deo* ſacratum non tantùm cuſtodiatur & augeatur, ſed etiam recte applicetur. hinc Juſtinianus ſcribit: determinavimus, ut expenſæ, quæ fiunt ex eccleſiaſticis reditibus, circa pios erogentur actus, & DEO placentes: & illis hæc miniſtrentur, qui pro veritate egent & non habent aliunde alimentorum occaſionem, in Novella 3.c.3. Et de Juſtino Imperatore Evagrius commemorat, quòd Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum, de ſede ſua deturbaverit, quod inter alia ſacrum theſaurum, extra modum & in nullum uſum neceſſarium, profudiſſet, l. 5. H. E. c. 5.

Sed per hunc loquendi modum id indicare volumus, utrùm Seculares Poteſtates, re integrà, habeant poteſtatem alienandi, infeudandi, diſponendi, ordinandi ſive ſtatuendi aliquid de Eccleſiis ac earundem bonis? Ubi in negativam ſecedimus ſententiam, eam ſufficienter probaturi, ſi prius explicaverim⁹, quid, interjectis illis verbis intellectũ velim⁹, re integra? nempè nihil aliud, quàm ſi Eccleſiaſtici ſuum faciant officium, pure doceant DEI Verbum, diſpenſent Sacramenta juxta Chriſti inſtitutum, & collatis beneficiis non abutantur ad ſuperſtitionem, *vel luxum*, ſed ad ſuum finem debitum: Secus ſi fiat, penes Magiſtratum eſt, idq; ex jure Majeſtatis eccleſiaſtico, ut Beſoldus loquitur l. 1. Pol. c. 3. §. 2. reformationem ſuſcipere, & bona eccleſiaſtica aliis magis piis uſibus applicare: vel, pro re nata, malos ipſos malè perdere, & beneficia eorum elocare aliis. Fundamentum prioris eſt in L. 16. ff. de uſu & uſufructu &c. quâ à Modeſtino conſulitur, ſi Civitati legatum relictum ſit, ut ex reditibus quotannis in ea Civitate ſpectaculum celebretur, ſed tale, quod ibi celebrari non liceat tunc iniquum eſſe, hanc quantitatem, quam in ſpectaculum defunctus deſtinaverit, lucro heredum cedere. igitur, adhibitis heredibus & primoribus Civitatis, diſpiciendum eſſe, in quam rem converti debeat fideicommiſſum, ut memoria teſtatoris, aliô & licitô genere, celebretur. Unde Bart. ſic annotante Gothof. ad h. 16. L. per iſtum textum dicit: Si Teſtator reliquerit centum pro Miſſis canendis, quæ Miſſæ cantari non poſſunt, propter interdictum, quòd illud relictum converti debeat in alium pium uſum. Poſterioris, in Epiſtola 154. Auguſtini, in qua diſſolvit Publicolæ aliquot qq. immiſcens nonnihil de templis, idolis & lucis Ethnicorum everſis, & inquiens: cum templa, idola, luci & ſi quid hujuſmodi data poteſtate evertuntur, quamvis manifeſtum eſt cum id agimus, non ea nos honorare, ſed potius deteſtari, ideò tamen in uſus noſtros privatos duntaxat & proprios non debemus indè aliquid uſurpare, ut pietate nos illa deſtruere appareat, non avaritia. Cum verò in uſus communes, non proprios ac privatos, vel in honorē Dei veri convertuntur, hoc de illis fit, quod

de

de ipſis hominibus,cum ex ſacrilegis & impiis in veram religionē mu[illegible]
HocDeus intelligitur docuiſſe illis teſtimoniis,cum de luco alienorū Deorū
juſſit ligna ad holocauſta adhiberi:& de Jericho,ut omne aurum, argentum
& æramentum inferretur in Theſauros Domini, *T. 2. col.* 704.

Re autem integrâ,i. e. faciente Miniſterio, quæ ſua ſunt, & ritè adminiſtratis bonis eccleſiaſticis,i. e. prout Dei & Fundatorum voluntati conſentaneum eſt, concludimus porrò intrepidè, Magiſtratui Politico nullam tunc competere poteſtatem in bona eccleſiaſtica, præſertim, ſi bona iſta Eccleſiæ tradita ſint, cum clauſulâ utilitatis & poteſtatis ſimul. Nam, ut rectè monet Hugo de S. Victore, Principes terreni in terris poſſeſſionibus Eccleſiæ aliquando concedunt ſolam utilitatem, aliquando & utilitatem & poteſtatem. Utilitatem ſine poteſtate concedunt, quando fructum quidem poſſeſſionis ad uſum Eccleſiæ transferri decernunt, ſed poteſtatem juſtitiæ exercendæ in ipſa poſſeſſione ad ejus jurisdictionem tranſire non permittunt: Aliquando & poteſtatem & utilitatem ſimul tribuunt, T. 3. l. 2. part. 2. de Sacrament. Fid. c. 7. p. 444.

Fundamenta noſtra ſunt hæc: I. Quod bonâ fide à nobis poſſidetur, ab aliis non debet turbari neq; invadi; juxta illud vulgare: Uti nunc poſſidetis, ità poſſideatis. At bona Eccleſiaſtica à Curatoribus Eccleſiarum bonâ fide poſſidentur: quia poſſidentur legitimis mediis, non ut aliena, ſed ut propria, citra fraudem, ſine dolo, ſine captione cujusquam: hoc verò eſt poſſidere bonâ fide, per *L.* 3. ff. de Lege Fabia de Plagiariis. Ergò â Magiſtratu Politico non debent turbari, neq; invadi. Huc pertinent verba ingenioſiſſimi *JC.* Simonis Schardij in Lex. p. 657. Uti nunc poſſidetis, ita poſſideatis, i. e. adverſus ea vim fieri veto.

2. Quod à Seculari Poteſtate eſt exemtum, id ſub ſeculari poteſtate amplius non eſt, vel, in id ſecularis poteſtas nullam ulteriorem habet poteſtatem: quia hæc ſunt contraria, quæ ſe mutuò expellunt. At oblationes, reditus & bona eccleſiaſtica, ab omni poteſtate & jurisdictione ſeculari, etiam ſupremâ, Imperatoria videlicet, ſunt exemta, prout in facti contingentia hoc latè deducit Schurffius, Conſil. 5. n. 1. vol. 4. Conſil. German. JCtor. per Kirchovium congeſt. Et vol. 2. Conſ. 31. per tot. & conſentiunt in id Imperatores Leo & Anthemius, in L. 14. C. de SS. Eccl in qua leguntur hęc verba, notatu digniſſima. Quicunq;, ſive teſtamento quocunq;, jure facto, ſeu codicillo, vel ſola nuncupatione, legato ſeu fideicomiſſo, aut mortis causâ donatione, aut alio quocunq; ultimo arbitrio, aut certe inter viventes habitâ largitate, ſive contractu ven-

 dit-

ditionis,ſive donationis,aut aliô quocunq; titulô ad venerabilem Eccleſiam patrimonium ſuum,partémve certam patrimonii.in fundis,prædiis ſive domibus,vel annonis,mancipiis &colonis eorumq; peculiis,voluerit pertinere:inconcuſſa ea omnia,ſine ulla penitus immutatione conſerventur. Scientes,nullâ ſibi occaſione vel tempore,ad viciſſitudinē beneficii collocati vel gratiæ referendæ,donandi,vel certè hominibus volentibus emere,alienandi,aliquam facultatem eſſe permiſſam:nec ſi OMNES cum religioſo Epiſcopo clerici,in earum poſſeſſionum alienationem conſentiant.Ea enim quæ ad beatiſſimæ Eccleſiæ jura pertinent,vel poſthac fortè pervenerint, tanquam ipſam ſacroſanctam & religioſam Eccleſiam,intacta convenit venerabiliter cuſtodiri.E.&c.

3. Ut bona publicarum perſonarum dicūtur Fiſcus, vel Ærariū ; privatarum,patrimonium vel peculium,& ità invicem ſunt diſtincta,ut neutra pars in alterius bona jus habeat atq; poteſtatem,in tantum quidem,ut nec Cæſar, abſq; juſtâ cauſâ,viliſſimi Ruſtici caſulam auſit invadere: ſic bona Eccleſiaſtica dicūtur ſacra,quòd in profanis uſus eorum nō ſit, & adminiſtratio eorum,ad Deo conſecratos præcipuè pertineat: dicuntur item Epiſcopalia, ꝙ eorum poteſtatem Epiſcopus habeat, non Rex, niſi quoad inſpectionem, Gregor.M.Epiſt.49.in proprietate autem ſtrictè loquendo nullius ſunt. quod enim divini juris eſt,ut ſunt res ſacræ,religioſæ & ſanctæ,id nullius in bonis eſt,ait Imper.Tit.1.de Rer.Div.§.8.l.2.Inſtit. Hoc adeò verum eſt, ut Melch. Cruger ſcribat ſuper h.t. eum barbariſmum committere, qui proprietatem Bonorum Eccleſiæ Regibus aut Principibus velit adjudicare.

4. Quemadmodum Tutores & Curatores,in bona Pupillorum & Minorum, nullam habent poteſtatem, niſi ut rem illorum vel ſalvam ſervent, vel conditionem eorū reddant meliorem. Hinc enim ſatisdare coguntur, hoc eſt, interpoſitis fidejuſſoribus cavere, rem pupillis vel minoribus, finitâ tutelâ vel curâ,fore ſalvam: imò eo nomine ſatisdatio potiſſimum introducta eſt, ne pupillorum pupillarúmve,& eorum, qui quævé in curatione ſunt, negotia â curatoribus, tutoribúsve conſumantur vel diminuantur, §. ne tamen I. Inſtit. de Satisd. Tut.& Cur. Et alibi Tutores vel Curatores expreſsè jubentur, ut aurum argentúmq;, & quicquid vetuſtate temporis non mutatur, ſi in pupilli ſubſtantia reperiatur,in tutiſſima cuſtodia collocent: ità tamen, ut ex mobilibus aut prædia idonea comparentur, aut ſi fortè (ut aſſolet) idonea non potuerint inveniri, juxta antiqui juris formam, uſurarum creſcat acceſſio, L. 24. Tutores. C. de Adminiſt. Tutorum.Ad eundem modum,nec Magiſtratus habebit poteſtatem in bona Eccleſiæ, niſi conſervando, aut meliora ea reddendo.quia Eccleſiæ Tutor eſt atq; Curator, Eſa. 49. ℣. 23. Pulcre in hanc rem ſcribit Tilemannus Heshuſius apud Thammium

nium, Tr. de Bonis Eccl. p. 126. Sicut per Venditionem propria bona ad alios tranſeunt, ita quæ ad Dei miniſterium locata ſunt, Eccleſia poſſidet: & Magiſtratus, qui ea intercipit, privataq; facit, ſacrilegii crimen contra 7. præceptum committit. Reprobandi ſunt & illi, qui aſſentationibus ſuis turpibus, ejusmodi rapinas approbant. Pii namq; Magiſtratûs munus eſt, diligenter curare res Eccleſiæ, ac diſpenſare, non quòd earum Dominus ſit: ſed Inſpector ac Defenſor, non aliter ac Tutor, qui licet pupilli ſui bona diſpenſet, non ideò tamen Dominus eorum eſt.

5. Quia bona Eccleſiaſtica, â *P*oliticis occupata, ſuis invaſoribus incommodant potius, quàm ut proficiant. Errant, qui dicunt: *P*anis Chriſti dulcis eſt; ſuaviter intrat quidem, ſed in fine mordet, veluti ſcorpio, & dolore afficit ad inſtar baſiliſci: id quod multi irrecuperabili ſuô damnô experti ſunt. Balthaſar certè, Rex Babylonis, quòd vaſa Templi Hieroſolymitani, quæ Nebucadnezar indè abſtulerat, in convivio profanâiſſet, & quæ cultui divino erant conſecrata, ebrietatis & laſciviæ inſtrumenta feciſſet, unâ nocte regnô pariter atq; vitâ privatus eſt, Dan. V. 30. Antiochus Rex Syriæ, manifeſtam Dei vindictam in ſe ſentiens, plenus furiarum ſub finem vitæ hæc verba prolocutus eſt: Nunc cum reminiſcor malorum, quæ perpetravi Hieroſolymis, quando vaſa omnia aurea, & quæ ibi erant argentea, abſtuli, miſiq; inſuper, qui delerent incolas judææ, nihil tale promeritos: hæc mihi propter illa accidiſſe mala agnoſco, & ecce! magnô mœrore pereo, idq; in terra aliena, 1. Macc. 6. ℣. 12. 13. Heliodorus quas non ſenſit fuſtigationes, divinitùs inflictas, cum jam in eo eſſet, ut manus ſuas extenderet ad auferendos ſacros templi Hieroſolymitani theſauros, ut pænè animam egiſſet inter immenſos cruciatus, niſi precibus Oniæ Sacerdotis ad Deum fuſis ab interitu fuiſſet conſervatus? 2. Macc. 3. ℣. 26, 32. Memorabile eſt, quod recenſet Gregor. Turonenſis de Celſo, Regis Gunthramni *P*ræfecto. Erat is Vir procerus ſtaturâ, in ſcapulis validus, lacertô robuſtus, in verbis tumidus, in reſponſis oportunus, juris lectione peritus: cui tanta habendi cupiditas extabat, ut ſæpius Eccleſiarum res auferens, ſuis Ditionibus ſubjugaret: Cum autem vice quadam audiſſet Eſaiæ *P*rophetæ lectionē, in Eccleſia legi, in qua dicitur: Væ his, qui jungunt domum ad domũ, & agrum ad agrum copulant usq; ad terminum loci, exclamâſſe fertur: Incõgruit hoc VÆ mihi & filiis meis! Sed reliquit Filium, qui absq; liberis functus, maximam partem facultatis Eccleſiis, quas Pater exſpoliaverat, dereliquit, l. 4. Hiſtoriæ Francorum, c. 24. p. 170. Et quod habet B. Lutherus in Deipnologiis, ubi Tit. 4. p. 84. ſic legitur: D. Luther ſaget einmal über tiſch darvon/wie daß ein waar ſprichwort were/daß Pfaffengut wer Raffengut/und daß Pfaffengut nicht gedeite: und daß habe mann auß der Erfahrung/daß die jenigen/

 die

die da Geiſtliche Gütter zu ſich gezogen hatten / zuletzt drüber verarmet unnd zu Bettlern worden ſind. Und ſprach darauff / daß Burckhard Hund / Churfürſt Hanſen zu Sachſen Rath / hette pflegen zuſagen: Wir von Adel haben die Klöſtergüter unter unſere Rittergüter gezogen / nu haben die Klöſtergüter unſere Rittergüter gefreſſen und verzehret / daß wir weder Klöſtergüter noch Rittergüter mehr haben! In ſumma, induunt bona Eccleſiaſtica vim & naturam pellium lupinarum. Quemadmodum enim hæ ſi miſceantur cum pellibus ovium, has primum abſumunt, & ſeſe mox etiam: ſic Principum fiſci & Civitatum æraria quàm plurima, miſerè evanuerunt, & adhuc quotidiè evaneſcunt, infelici bonorum Eccleſiaſticorum contactu. Reſpexerunt huc veteres noſtri Germani, qui pro diriſſima imprecatione interpretati ſunt, ſi quis alteri imprecatus fuiſſet tegulam de Æde ſacra, ſuper ipſius tectum: quaſi nimirum unica iſta tegula ſufficiens pondus foret, quo omnia ſupprimerentur & pessundarentur, quæ in domo ejus eſſent reliqua, teſte D. *Dan.* Cramero l. 2. H. *Eccl.* Pomeran. c. 16. p. 142.

*Dices*: Sed quid de *Proteſtantibus*? illi certè alicujus in[illegible] inſimulantur à Pontificiis! Reſpondeo: nulla commiſſa eſt ab e[illegible], ſed mera reformatio. Cum enim viderent ſancti Germaniæ Proceres, bona *Eccleſiaſtica*, piis uſibus deſtinata, abliguriri, in epulas & commeſſationes converti, & pro cultu divino vanas ſuperſtitiones, nugas, & ſacroſancti *Depoſiti*, Verbi nempe divini, corruptelas propagari, illi, exterminatâ tam horrendâ profanatione, Bona, â ſuis Majoribus larga manu Eccleſiæ donata, in ordinem redegerunt, & in uſum, quem priſci Fundatores intenderant, h. e. in Miniſterii Eccleſiaſtici conſtitutionem, nec non pauperum ſcholaſticorum, ægrotorum, orphanorum & aliarum miſerabilium perſonarum ſuſtentationem ac alimentationem piè tranſtulerunt, nihil penè ſibi reſervatis. Atq; hoc eſt, quod reſpondent Saxonici Theologi Dilingenſibus: Die Evangeliſche haben ſo viel und beſſer zuſprüche zu denn Entzognen Geiſtlichen Gütern gehabt / alß die Catholiſche / weil Sie von Ihren vorfahren geſtifftet / und von Ihnen zur Ehre GOttes / tauſendmal beſſer / alß von denn Papiſten / angewendet worden / In der Hauptvertheidigung Cap. 12. p. 53. Pertinet huc, quod in ſimili cauſa regerit Ambroſius Gentilibus altaria, delubra & prædia repoſcentibus: Repoſcantur hæc, inquit, â conſorte ſuperſtitionis. Chriſtianus Imperator aram SOLIUS Chriſti didicit honorare, T. 3. lib. V. epiſt. 31. num. 7. p. 118. & poſt pauca p. 119. n. 13 Sublata ſunt prædia, quia non Religioſè utebantur iis, qui religionis jure defenderent. Qui noſtro utuntur exemplo, cur non utebantur officio? Nihil Eccleſia ſibi, niſi fidem, poſſidet. Hos reditus præbet, hos fructus. Poſſeſſio Eccleſiæ, ſumtus eſt egenorum. Numerent quos redemerint Templa

capti-

captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus Exulibus vivendi ſubſidia miniſtraverint. Prædia igitur intercepta, NON JURA ſunt!

Ut autem hæc omnia, quæ hactenus de non auferendis, aut aliorſum transferendis bonis Eccleſiaſticis diximus, regulariter procedunt: ſic exceptionem patiuntur, quando inevitabilis ingruit neceſſitatis caſus. Ut enim extra neceſſitatem, Magiſtratui nefas foret, bona Eccleſiaſtica in alienos uſus intervertere: ſic accedente neceſſitate, fit excuſabile, talia bona conferre in uſum publicum, ad bonum promovendum, & malum avertendũ. In hac enim parte, quod lege prius erat vetitum, neceſſitas, quæ legem non habet, poſtea facit licitum! Recenſentur autem hujusmodi neceſſitatis caſus principaliter quatuor, quos videre eſt apud Theodorum Reinking. l. 3. de Regim. ſecul. & eccl. claſſ. 1. c. 3. n. 4. & additur ibidem n. 6. generale πέρισμα, quòd *E*ccleſiaſtica bona alienationi & contributioni ſubjecta ſint, iis caſibus, in quibus principaliter pietas & publica verſetur utilitas. Nititur autem Magiſtratus pol. iſto tum fundamento, quod Hugo de S. Victore ſuggerit, quando ſic ait: Eccleſia illud ipſum, quòd poteſtatem habeat, â Principe terreno ſe habere agnoſcat: & ipſas poſſeſſiones nunquam ita â regia poteſtate elongari poſſe intelligat, quin, ſi ratio poſtulaverit & neceſſitas, & illis ipſa poteſtas debeat patrocinium, & illi ipſæ poſſeſſiones debeant in neceſſitate obſequium, T. 3. l. 2. de *S*acram. fidei part. 2. c. 7. p. 444. Tantum de his.

## I X.

## Utrùm Magiſtratus Politicus, bonâ cum conſcientiâ, gladiô animadvertere poſſit in Facinoroſos?

Rerum, quæ ſunt in Mundo, nulla eſt ſanctior aut divinior Homine: itaq; de vita ipſius, omni cautione adhibitâ, diſponendum, ne rapiatur temerè, aut perimatur præcipitanter. Non enim capita, humeris avulſa, itidem renaſcuntur, ut ſalices cæſæ: nec ſanguis humanus eâ facilitate recolligitur, quâ effuſus eſt, quin defluit undarum inſtar, nec poteſt revocari, utut ad ravim usq; inclametur. Habem⁹ ejus rei exemplum, nunquam ſatis recolendũ apud Pontanũ, in Nicolao V. *P*ontifice, apud quem cum accuſaretur Angelus Ranconius, Tribunus militum, quòd Averſo fugienti & undiq; claſſo, iter liberum per Tyberim permiſiſſet, juſſit, veſperi in cubiculo quieſcens, ut lege in illum ageretur; manè verò ubi experrectus fuiſſet, dixit illis, qui aderant, velle ſe Angeli cauſam conſultius cognoſcere: cui cum reſponderetur, fuiſſe jam in illum intempeſtâ nocte ſecuri animadverſum,

incre-

incredibili dolore eſt permotus, l. 4. de Obed. c. 15. p. 38. Ità ſcilicet ſpiritus hominis, cum ſemel exierit, non revertitur, ſed vadit ad domum ſeculi ſui, Eccl. XII. 5. & homo quidem ſuâ malitiâ mortem inferre poteſt, ſed non efficere, ut ſpiritus, è corpore egreſſus, revertatur, & ut anima aſſumta in corpus redeat, inquit Sapiens c. XVI. 14. Idcircò laturum ſententiam de vita hominis, diu multumq; cunctari oportet, nec præcipiti ſtudio, ubi irrevocabile factum eſt, agitari, imò, ſuffragante Poëtâ:

*Nulla unquam de vita hominis cunctatio longa eſt!*

Quod ſi verò cauſa maturè ſit cognita, nec non delictum, juxta omnes ſuas circumſtantias accuratè examinatum, ac, vigore Legum, ipſiſſima morte dignum judicatum, etiamnum tamen ulterius quæritur: utrùm Magiſtratus politicus bonâ cum conſcientiâ, eam homini poſſit irrogare? Rationes profectò dubitandi occurrunt multifariæ:

I. Quia nullum mandatum extat in toto N. T. quo jus vitæ & necis, Magiſtratui chriſtiano eſſet commiſſum. Cum enim ſolus DEUS vitam dederit, is etiam ſolus poteſtatem, eam rurſus adimendi, habebit. Magiſtratus duntaxat miniſter eſt DEI; jam verò miniſter nullam habet poteſtatem abſque expreſſo mandato Domini ſui aliquid exequendi, inprimis puniendi: nec legem, abſq; ſpeciali mandato Domini, in tam ardua cauſa ipſe ferre poteſt. Aut igitur Magiſtratus Pol. præſertim in N. T. quia miniſter tantummodo in hac cauſa eſt, mandatum divinum exhibeat, aut jure vitæ & necis, i. e. uſurpatione gladii corporalis nolens volens abſtineat.

2. Non tantùm nullum extat mandatum, ſed & oppoſitum habetur interdictum, de non vindicando ullo modo. ſic enim legitur: ne reſiſtatis malo, Matt. 5. ℣. 39. *Et* ne quis excipiat, hoc tãtummodò de privata vindicta intelligendum, ſcire oportet, Chriſtum, cum ℣. 38. ſignificaſſet, quòd V. T. Magiſtratui publicè fuerit dictum & permiſſum, nempe, ultionem de reis ſumere, & oculum pro oculo, dentem pro dente pendere &c. ℣. 39. mox ſubjungere, malo non eſſe reſiſtendum, i. e. injuriam ne quidem per Magiſtratum vindicandam, ſed potius æquô animô ferendam. perinde enim eſt, ac ſi diceret: Moſes quidem vindictam publicã, quæ fit per Magiſtratum, vobis permiſit; ego autẽ vobis non permitto. ſed potius dico, malũ ne quidẽ per Magiſtratum eſſe vindicandum. Ruente enim hac expoſitione, vix poterit ſubſiſtere oppoſitio, in ℣. 38. & 39. introducta.

3. Chriſtus Matt. 13. ℣. 29. 30. noluit permittere, ut eradicarentur Zizania, ſed inquit: ſinite ea creſcere, uſq; ad tempus meſſis, i. e. usque ad conſummationem ſeculi. Sive jam per Zizania hæretici intelligantur, ſive improbi & flagitioſi, tamen indè hoc obtinetur, eos à nemine, ne quidem à Magiſtratu, è medio eſſe tollendos. Ratio enim à Chriſto in ℣. 29. allegata,

non

non minus Magiſtratum conſtringit, quàm alios, non minus videlicet metuendum, ut ab eo ſimul cum Zizaniis eradicetur triticum, quàm ſi fiat ab aliis.

Hæ ſunt rationes, quas Photiniani præ aliis adducunt, ut Magiſtratum exarment, & Enſem lateri ejus detrahant, ſicuti videre eſt apud Oſtorod. in Inſtit. c. 28. p. 185. & ſeq. Schmal. contra Franz. de rebus Civil. p. 387. & ſeq. Volckelium l. 4. de vera Relig. c. 16. p. 255. Quibus tamen non obſtantibus, Nos, ut veriorem, eam ſententiam defendendam ſuſcipimus, quæ Magiſtratui jus gladii tribuit, & uſurpationem ejus legitimam in facinoroſos permittit; his ſtipati rationibus:

I. Si Medicus, poſtulante neceſſitate, licitè poteſt tollere membrum de corpore, quò totum corpus ab interitu relevetur, etiam Magiſtratus, urgente neceſſitate, poterit capitaliter punire unum alterumq; maleficum, quò tota Clientela ab interitu vindicetur. Ratio eſt, quia quod Medicus in privato corpore, id Magiſtratus eſt in publico: & utriusq; commune officium poſtulat, commiſſi ſui corporis providam gerere curam, ne pereat, ſed conſervetur & vigeat. Antecedentis veritas nemini poteſt eſſe obſcura, vel ex vulgatiſſimo illo: Immedicabile vulnus enſe reſcindendum eſt, ne pars ſincera trahatur. E. &c. Hinc Paulus J C. inquit, eos qui ad compeſcendos malos mittantur, Reip. causâ illud facere, l. 35. qui mittuntur, §. 5. ff. ex quibus Cauſ. Majores

II. Sine quo tranquillitas publica haberi non poteſt, illud meritò præſtatur, ſive in uſum reducitur. at ſine internecione maleficorũ publica tranquillitas haberi non poteſt. E. &c. Major patet. ſi enim omnes noſtræ actiones ità inſtituendæ ſunt, ut tranquillam ac quietam vitam degamus cum omni pietate & honeſtate, 1. Tim. 2. ℣. 2. utiq; omni ſtudio promovendum erit, quodcunq; laudabili huic εὐταξίᾳ inſervierit. Nec Minor latet. quia ex impunitate maleficorum homines occaſionem ſumunt licentius peccandi, & in Bonos ferocius debacchandi, unde brevi omnium rerum diſturbationẽ ſequi neceſſe eſt. Hinc Iſidorus: factæ ſunt Leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaq; ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis, formidatô ſuppliciô, refrenetur audacia & nocendi facultas, Can. factæ ſunt. Diſt. 4. Et adhuc clarius Hieronymus: Non fruſtrà ſunt inſtituta poteſtas Regis, & Cognitoris jus, ungulæ Carnificis, arma militis, diſciplina damnantis, ſeveritas etiam boni Patris. habent omnia iſta modos, cauſas, rationes, utilitates: hæc cum timentur, & mali coercentur, & Boni quieti inter malos vivunt. Can. Non fruſtrà. Cauſa. XXIII. q. V.

III. Si bellum, juſta de cauſa ſuſceptum, in N. T. eſt licitum, etiam jus gladii Magiſtratui non erit derogatum. Nam quid eſt bellum, niſi impugnatio hominum violenta, quæ fit gladio & armis? Gabriel l. 4. Sent. d. 15. art. 1. & movetur non per privatam perſonam: ſed interventu Magiſtratus, in tantũ,

 ut

ut niſi ſuſcipiatur ejus autoritate, vel repetundarum rerum causâ, vel propulſandæ injuriæ gratiâ, reputetur injuſtum, Thom. 2. 2. q. 40. art. 1. At verum eſt Antecedens. Niſi enim bella a bonis ſuſcipi poſſent, Johannes cum ad eû milites venirent, ut pœnitentiam agerent & baptizarentur, dicentes: Et nos quid faciemus? procul dubio reſpondiſſet illis, arma abjicite, militiam deſerite, proſternite neminem, occidite neminem: ſed quia ſciebat, cum hæc militando facerent, eos non transgredi officium, ſed præſtare legi miniſterium, admonuit modó, ne quem temerè concuterent, aut dolô opprimerent: ſed ſtipendiis ſuis contenti viverent, Luc. 3. 14. ſeparans in eo vitium à re ipſa, & illud improbans, hanc verò ſuſtinens, & abſtractum in concreto juſtificās. nam veriſſima eſt Regula: Ab approbatione concreti ad approbationem abſtracti, V.C.ut: Theologus eſt laudandus. Er. & Theologia; Prudens eſt magnifaciendus. Er. & Prudentia. Sic Johannes probat milites in officio manentes. Ergó unâ fideliâ ipſam etiam probat militiam. Cui enim aliâs bono ſunt milites, niſi militiæ? Er. verum etiam & Conſequens.

IV. Deniq; ut ſciat Magiſtratus & in ſua conſcientia ſit confirmatus, ſe quicquid hic, legibus conſentientibus, etiam capitaliter, incipiat & perficiat, pro poteſtate divinitùs conceſſa, ex officio ſuo facere, adducimus locum claſſicum ex Rom. 13. ꝟ. 4. qui ſic ſonat: Quod ſi malè feceris, metue. Non enim (Magiſtratus) fruſtrà gladium geſtat. Dei miniſter eſt, ultor ad iram ei, qui fecit, quod malum eſt. Deſcribitur hic inter cætera officium Magiſtrat⁹ adverſus delinquentes, quod eſt, non connivere ad eorum delicta, aut, quæcunq; malè perpetrent, ſusque deq; habere. foret hoc aliâs, gladium fruſtrà geſtare, ꝓ forma magis & in ludibriû, quàm in terrorem populi: ſed punire, &, tanquam Dei miniſtrum, de maleficis, pro qualitate commiſſorum, debitam ultionem exigere. Hoc enim requirit gladius, in eum finem Magiſtratui à *Deo* accinctus, ut eſſet, quô animadverteret in eum, qui malum commiſiſſet. Quæ cum ità ſint, ſequitur, vel ſubditis abſtinendum eſſe à malefactis, vel, ſi contrà faxint, metuendum, ne, pro enormitate exceſſûs, omninò de vita periclitentur. gladius quippe geſtatus ſignum eſt, quòd Magiſtratus in necem ſontium, pro re nata, etiam jure poſſit ſævire, & illis ultimum ſupplicium infligere. Hinc fortean manavit inventum Hieroglyphicum, quo Juſtitia quondam adumbrabatur. Siſtebatur enim Virgo, alterâ manu exertum enſem, alterâ trutinam tenens: per illum, Magiſtratus & judices ad ſeveritatem & rigorem; per hanc, ad delicti & pœnæ æquilibrium revocabantur. adi Pierium in Hieroglyph. l. 42. c. 55. p. 535. Inde autem tale inducitur argumentum: Quodcunq; divinâ autoritate Magiſtratui eſt traditum, id juſtiſſimò titulô

& bona cum conſcientia ab eodem exerceretur. Atqui capitalis pœna, geſtatione gladii deſignata, divina autoritate Magiſtratui eſt tradita, ut conſtat ex dictis. Er. &c.

Eſt hic locus ſudes in oculis Photinianorum, ideò omne adhibent machinamentum, ut illum arietent atq; ſubvertant. Dicunt 1. *P*aulum hîc non tradere poteſtatem, ſed modò exponere, quid Magiſtratus facere ſoleat: unde nulla ſequatur obligatio.

Reſpondeo: verum eſt, directè hic nullū cōtinetur præceptū. Non enim dicitur: Magiſtratus, quia tu gladium geſtas, & exinde jus vitæ & necis obtines, ideò illum ſtringito in delinquentes: Interim tamen proponitur pars officii, nempe vindicativi, quò Magiſtratus teneatur ex autoritate & ordinatione divinitùs ſibi collatâ, videlicet exercere gladiū cum effectu, prout rei gravitas poſtulaverit: & huic, ad minimum per indirectum, incluſum eſt Dei mandatum de poſcendo pœnas, ſi res ità exigat, etiam cum ſanguine. Idem enim ſenſus pæne remanet, licet verba nonnihil diſcrepent, ſive dicatur: Tu, Magiſtratus, gladium à Deo traditum debitis modis in delinquentes ſtringito; ſive in hunc modum: tuarum partium eſt, ô Magiſtratus, gladium à *D*eo traditum ritè uſurpare & in delinquentes ſtringere, ne fruſtrà & ſine actu ſuo eum geſtare videaris! Quid igitur juvat, nos verbis inſanire, ſi ſenſu ſimus incolumes?

II. Ajunt Paulum loqui de Magiſtratu infideli, cui tum leges dictare velle, non fuerit muneris Apoſtolici: ſed quia jam Magiſtratus iſte leges ſuas habebat politicas, ſecundum quas ſubditis ſuis imperabat, ideò monere Paulum fideles, ne illis, quatenus erant politicæ, repugnent: & rationem inter alias afferre iſtam, quòd Magiſtratus alioqui corporaliter poſſit punire ejusmodi immorigeros.

Reſpondeo. *E*piſtolæ apoſtolicæ non erant privatæ literæ, licet huic vel illi cœtui peculiariter ſint inſcriptæ: ſed in Generalibus concernebant omnes Chriſtianos, & in nonnullis partibus infideles pariter cum fidelibus. Sic in hoc 13 *C*ap. informat Paulus quemlibet ſubditum, cujuscunq; conditionis & ſtatûs ille ſit, ſive fidelis, ſive infidelis, quòd ſubjectus eſſe debeat poteſtatibus ſupereminentibus, quia dicit: Omnis anima, ℣. 1. *D*einde quòd bene agendo, optima quæq; ſibi polliceri debeat, ℣. 3. & deniq, quòd malè agendo, ſibi timere etiā debeat, additā ratione, quia non fruſtrà geſtet gladium, ℣. 4. Ergó non ſolum exponit, quid de facto eveniat, ſed quid de jure & ex injuncto officio faciat, & facere debeat Magiſtratus, cujuscunq; fidei ac profeſſionis, nimirum non fruſtrà & pro inani terriculamento gladium geſtare: ſed legitimè uſurpare, h. e. neci parare, & promeritis ſontium ſuppliciis deſtinare. hæc enim vis eſt particulæ εἰκῆ, quando nimirum effectus operi

 apta-

aptatur & accingitur. Hoc ipſo autem non toleratur tantùm, ſed & probatur à Paulo vindicta & pœna, quæ à Magiſtratu, qualiſcunq; ille ſit, modò intra juſtitiæ limitem ſe contineat, mediante gladiô à maleficis exigitur.

III. addunt, Paulum loqui figuratè, & per geſtationem gladii ſeveram quidem pœnam, non tamen corporalem, quæ fiat amiſſione vitæ, aut detruncatione membrorum, quâ homo ad labores amplius reddatur ineptus & inhabilis, denotare. Nam & Matt. 10. ℣. 34. vocem gladii figuratè uſurpari, ſed itidem figuratè, pro qualibet gravi concertatione ſcilicet ac pugna.

℞. 1. ſemper provocant ad figuratam locutionem, non tamen addunt, quam figuram præcisè deſignent, nempe ne examen inſtitui poſſit, utrum figuratum ad naturam figuræ ritè conquadret. At dicunt, per gladium hic pœnam denotari. Ergò erit metalepſis cauſæ inſtrumentalis pro effectu, dũ nominatur cauſa, h. e., gladius, & intelligitur effectus, nimirum pœna, quæ gladiô infligitur; age, reſolvamus metalepticam hanc locutionem in propriam, & talis prodibit expoſitio: Magiſtratus non fruſtrà geſtat pœnam. qua vix quicquam audiri potuit abſurdius!

2. petimus nobis dari exemplum ex Scriptura, in quo de pœnis ſermo fiat cum mentione gladii, & non includatur pœna corporalis, quæ mortem ſapiat. excutiantur loca, Gen. 48. ℣. 22. Exod. 22. ℣. 24. Num. 21. ℣. 24. Jerem. 24. ℣. 10. & deprehendes, in his omnibus pœnam corporalem, imò capitalem & occiſionem includi.

3. Locus Matt. 10. ℣. 34. nobis nihil officit. Non enim ſequitur: Matt. 10. vox, gladius, figuratè uſurpatur, pro gravi quodam diſſidio, prout Chriſtus ipſe ſic explicat, Luc. 12. ℣. 51. ergò pari modo uſurpabitur, Rom. 13. ubi nulla hujuſmodi tropologicæ locutionis, uti nec alibi, extat expoſitio. Ut taceam, ſtante iſthoc παραλληλισμῷ, vix aliam ſequelam indè extructum iri, quàm hanc: Er. & Magiſtratus non fruſtrà geret diſſidium. quæ cum ſit intolerabilis, per ſe porrò corruit, locum Rom. 13. ℣. 4. ex Matt. 10. ℣. 34. commodè explicari haud poſſe: cum de diſtinctis diſtinctè etiam ſit pronunciandum.

4. Utut autem nos in voce, gladius, neq; metalepſin, neq; metaphoram agnoſcamus, hoc eſt, neq; pœnam, neq; diſſidium propriè intelligamus: tamen à ſenſu metonymico eam non planè immunem eſſe exiſtimamus. Etenim Paulus haud dubiè terminô, gladius, alluſit ad ritum Veterum, quo Magiſtratui præferri ſolebant faſces & ſecures, vel gladius: aut Ipſe, eminentiæ ergò, præ aliis gladiatus incedebat, in ſignum, eum jure gladii eſſe inſtructum. Quia autem illud jus, interprete Ulpiano l. 3. ff. de juriſdict. nihil erat aliud, quàm imperium animadvertendi in facinoroſos: itaq; Paulus ſubditos admonitos voluit, ut oculos in iſtum gladium dirigentes,

tes,

tes à malefactis ſibi temperarent, alioquin inevitabile jus ſuper cervices ſuas attracturi: quia non fruſtrà geratur, ſed ut officiò ſuô ritè defungatur. Dum autem hoc modo ſignum juris, gladius, pro ſignato, h. e. pro ipſo jure exercendi gladii, ponitur, manifeſtum eſt indicium, latere ſub hoc termino ſenſum metonymicum, in hunc proprium, citra omnem abſurditatem, reſolvendum: Magiſtratus non fruſtrà tenet JUS GLADII!

IV. Deniq; excipiunt ad h. l. Photiniani, ſi noſtra interpretatio conſiſtat, ſequi omnia delicta, abſq; diſcrimine, gladiò eſſe plectenda.

℞. iterum nulla ſequela. 1. quia jus iſtud gladii non eſt indiſcretum. tunc enim injuriam potius, quàm jus nominari oporteret: ſed ad leges, de ſingulis malefactorum generibus latas, attemperatum. 2. quia nominatur Gladius, non ut minores pœnæ excludantur, ſed præſupponantur: ſubditi magis deterreantur, & â malefactis quibusvis, tàm minoribus, quàm majoribus, avocentur, memores: quòd qui jus habet decernendi in quibusdam delictis capitales pœnas, per gladii interventum exequendas, ille multò magis jus habeat etiam in minoribus delictis, leviores pœnas inferendi, obſervatô tamen ubiq; moderamine, de quo Horatius l. 1. Serm. ſat. 3, Adſit

*Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:*
*Ne ſcuticâ dignum, horribili ſectère flagello!*

Nunc ratio ordinis poſtulat, ut contraria etiam Photinianorum argumenta conſideremus & refutemus. Primum erat, nullum poſſe exhiberi mandatum in N. T. de interficiendis facinoroſis. Reſpondeo: quid tum? abſit expreſſum mandatum, quod ſonet: Interfice maleficos; ſufficit, quod extent termini æquipollentes, id eſt, quòd poſſimus exhibere delineationem officii Magiſtratus, cujus partes etiam illa ingrediatur, quæ eſt de non fruſtrà gerendo gladio, ſed in vindictam ei, qui malefecerit, Rom. 13. ℣. 4. Officium utiq; dicitur ab efficiendo, ut ait Donatus, quod efficere unumquemq; conveniat, pro conditione perſonæ ſuæ: Græci vocant καθῆκον, ἀπὸ τῦ κατ' ἀξίας ἥκειν, ab eo, quòd ad aliquos veniat ſive pertineat. hinc officium pietatis, quod parentibus incumbit præſtandum liberis: Officium Magiſtratus, quod â Magiſtratu exhibendum ſubditis. ergò formula loquendi: hoc officium tuum requirit, hoc tui muneris eſt, hoc partium tuarum, æquipollebit huic: fac hoc, aut, hoc debes facere. Quod agnoſcens Petrus ait: ſi quis officiū exequitur (in græco eſt διακονεῖ; jam verò Magiſtrat⁹ eſt διάκονος τῦ θεῦ, Rom. 13. ℣. 4.) is tanquam ex virtute quam DEUS ſuppeditat, id eſt, ſic exequatur, tanquam â virtute cœleſti ad hoc efficiendum vocatus & deſtinatus, 1. Cap. IV. 11. & Paulus, dum jubet in ſtudio ſuo quemlibet eſſe non pigrum, Rom. XII. 11.

In ſecundo provocabant ad locum, Matt. V. 39. quô putabant, omnem

vindictam, etiam publicam, quæ fiat interpoſitâ autoritate Magiſtratus, eſſe ſublatam. Reſpondeo I. ſi nulla vindicta eſt permiſſa, ne illa quidem, quæ fit per legitima media Magiſtrat⁹ &c. tunc nunquã cõſiſteret textus Paulin⁹ qui exertè de Magiſtratu pronunciat, q̃ ſit miniſter Dei ἔκδικ⊚, vindex ad iram illi, qui malefecerit, Rom, XIII. 4. neq; Petrinus, qui dicit, *Præ-ſides* â Rege mitti εἰς ἐκδίκησιν τ̃ κακοποιῶν, in vindictam maleficorum, [illegible] 2. ✠. 14. nec ullô modô excuſabitur paupercula vidua, quæ injuriâ affecta, â judice petiit, ἐκδίκησιν ſui adverſarii, Luc. 18 c. 3. Neceſſario igitur, ne Scriptura ſe ipſá evertatur, retinendum erit diſcrimen inter vindictam publicam & privatam. Hæc eſt, ſi ſine autoritate Magiſtratus & Legum, ex privata pervicacia publicus ordo perturbatur, &, ſaturandi exacerbati animi causâ, malum de proximo cogitatur aut ſumitur; illa vero ſi vi gladii, divinitùs traditi, publicè per Magiſtratum injuria punitur vel propulſatur, ut humanæ tranquillitati conſulatur, & Legum autoritas conciliatur. Et ut privata omnibus modis eſt interdicta & ſublata, ita publica tam eſt neceſſaria, ut ſcribat Tertullianus L. 4. adverſus Marcionem *Diſciplinæ intereſt, injuriam vindicari metu enim ultionis omnis iniquitas refrænatur: cæterù n paſſi ne miſsâ libertate, dominabitur iniquitas utrumque oculum effoſſura, & omnem dentem excıſura præ impunitatis ſecuritate!* 2. loqui autem Chriſtum Matth. 5 ✠. 39. de privata duntaxat vindicta, contextus circumſtantiæ ſatis evincunt. Direxit enim ſermonem ſuum non ad Tiberium Imperatorem, non ad Judææ *Præſidem*, Pontium *P*ilatum, aut alium aliquem, in publico munere conſtitutum: ſed ad Diſcipulos & congregatum populum, adeoque ad privatos, quos docere voluit, ne, falſis Phariſæorum interpretamentis decepti, exiſtimarent ſibi, injuria aliqua affectis, licere, par pari referre, malum pro malo reddere, neq; ità de adverſario æqualem ultionem ſumere. in qua ſententia *Phariſæos* fuiſſe, valde eſt veriſimile. pravè intelligentes iſtam legem: oculus pro oculo, dens pro dente, Lev. 24. ✠. 20. & ad privatos etiã extendentes, quaſi & illis licitum eſſet, acceptam injuriam retaliare, & offenſas pro offenſis reddere, ſervatâ tamen juſta Talionis lege, ita ut facinus menſura pœnæ eſſet, non exceſſus: ſed Chriſtus inſtituit, longè aliter ſe habere rem. qui enim dixerit judici: oculum pro oculo, dentem pro dente; dixiſſe privato: non ulciſcaris te, nec memor ſis injuriæ civium tuorum, Lev. 19. ✠. 18. LXX. hic reddiderunt: οὐχ ἐκδικάτω σου ἡ χείρ, non ulciſcatur tua manus; qui dixerit Magiſtratui: ſicut fecit, ita fiat illi; dixiſſe ſubditis: ne dicas, quomodo fecit mihi, ſic faciam ei, Prov. 24. ✠. 29. Ergo nec præſentibus ſuis auditoribus, nec aliis privatis, conceſſum aut integrum eſſe, ad Legem Talionis reſpicere, & juxta illius præſcriptum, ultionem de proximo ſumere ſuapte ſponte

te, quicquid Phariſaiſmus ogganiat. Hoc enim foret, non tantùm jus Magiſtratus procaciter, invadere, & ſic manus in alienam meſſem mittere: ſed & manſuetudinem chriſtianam violare, quæ ab illis ſedulò requirat, ne malo reſiſtant, hoc eſt, non quaſvis illatas offenſas & injurias, vi & armata manu repellant. (nam græcum ἀντιστῆναι reſpondet hìc hebræo יָצַב, quod eſt armatum contrà ſtare, Num. 22. ℣. 23. aut τῷ קוּם, quod ſimiliter talem armatam reſiſtentiam involvit, Joſ. VII. 13.) ſed patienter ferant, &, ut Paulus explicat, Rom. XII. 19. ſemetipſos non ulciſcentes, locum iræ divinæ relinquant. His circumſtantiis ritè obſervatis, omnia ad amuſſim cohærebunt, ſenſus undique erit lucidus, nec ulla oppoſitionis Lex vitiabitur.

In Tertio allegabatur prohibitio de non eradicandis Zizaniis ſive lolio, ne ſimul & triticum evelleretur. Verùm non videmus, quid hoc adverſus capitalem poteſtatem Magiſtratus faciat. Si enim ſcopus Chriſti diligẽter attendatur, pateſcet, totã iſtam prohibitionem, directam eſſe contra præpoſterum Zelum nonnullorum rigidorum Eccleſiaſticorum, qui, dum nimium veloces ſunt in eradicando lolio, ex ſimilitudine ejus cum tritico facilè decipiuntur, & quid pro quo, i. e. triticum pro lolio, evellunt, atque ità imminuunt potius rem frumentariam, quàm augent: ut taceam, eos, præcipitantiâ ſuâ, ſæpè impedimento eſſe, ne lolium revertatur in triticum. qua de re ſic Matthiolus: lolium in triticum quandoq; mutari, mirandum quidem, abſurdum tamen non eſt, l. 2. in Dioſcorid. C. 93. nam nimiô frigore exuſtum, in alium & colorem & ſaporem degeneraverat, ſed ità, ut rurſum dicatur, ubi idoneam terram & cœlum clemens nactum fuerit, in antiquam ſpeciem redire, verba ſunt D. Baſilii in Hexam. hom. V. ad illa verba: Et dixit Deus, germinet &c. hoc eſt faciũt, ne Hypocritæ cõvertantur, & ad meliorẽ frugẽ reducantur. De HIS enim propriè ſermo eſt inſtitut9, qui cum vere-juſtos externè pænè æmulentur in omnib9, quẽadmodũ lolium triticũ æmulatur (nam tantã cum vero tritico cognationem & ſimilitudinem habet, ut, non niſi tempore Meſſis, diſcerni & ab invicem ſeparari poſſint, fatente Hieronymô & ſuper XIII. Matt. ſcribente: Inter triticum & Zizania, quod nos appellamus lolium, quamdiu herba eſt, & nondum culmus venit ad ſpicam, grandis ſimilitudo eſt, & in diſcernendo aut nulla aut perdifficilis diſtantia &c.) periculum eſt, ne, Miniſtris temerè & intempeſtivè in evulſionem irruentibus, plus damni, quàm commodi frumento inferatur & triticum pro lolio evellatur & perdatur. differendum igitur putat hunc laborem Dominus agri, usque ad tempora Meſſis, quibus tales miniſtros conſtituturus ſit, qui, rectâ judicii trutinâ prædīti, in exequendis operis non aberrent, lolium â tritico ritè diſtinguant,

illud

illud in faſciculos colligent, & in clibanum ignis, ad comburendum dettradant; Hoc verò in horreum Dei, ſartum tectum inferant. Quid autem hoc ad manifeſtè ſceleratos, de quib⁹ nullum periculum, quòd per eos aut cum eis pars ſincera trahatur: ſed extirpatione eorum terra repurgetur, quemadmodum grana ventilabrô à paleis?

In quarto & ultimo introducebantur varii fines pœnarum, & utilius exiſtimabatur, ſi aliis pœnis coercerentur nocentes, quàm capitalibus, quæ ſcilicet incurrerent in manifeſtam ignominiam. id enim fore & illis ipſis intolerabilius, & aliis conſpectius & formidabilius. Reſpondeo 1. fit inſufficiens enumeratio finium. nam pœnæ non tantùm infliguntur, ut rei corrigantur, & alii deterreantur: ſed ut & violatæ juſtitiæ ſatisfactio præſtetur, quæ ſæpius aliter præſtari non poteſt, quàm per inflictam mortem, præſertim ſi violatio ſeu crimen naturâ ſuâ ſit capitale, ut ſunt Magia, Sodomia, Latrocinium &c Hæc utiq; crimina non poſſunt aliter, quàm pœnâ capitali expiari. 2. Magiſtratui non quidem manus ligamus, quaſi perpetuó teneretur ad inferendā mortem: poteſt, præſertim in arbitrariis judiciis, pœnam interdum exaſperare, ſi exemplô opus ſit; interdum mitigare, ſi ſpes ſit emendationis, & ſcandalum præſcindatur, ne alii hac moderatione reddantur deteriores: interim diligenter eum meminiſſe jubemus, quid Impp. dictitent: Judicē noſſe oportet, quód gravi infamiâ notandus, ſi crimen, apud ſe probatum, diſtulerit, ſeu omiſerit, vel impunitate donaverit, aut molliorem, quàm præſtituimus, pœnam protulerit, L, 8. Servos. §. 2. C. ad Leg, Jul. de vi publ. 3. Quid è re ſit flagitioſorum non tam ex noſtro ingenio promendum & decernendum, quàm eorum, qui ætate & prudentiâ nos anteceſſerunt, & conſultius judicarunt, inſanabilibus ingeniis melius eſſe emori, quam vivere, quando certum eſt eos indè evaſuros eſſe pejores. quemadmodum enim ſuppurato melius eſt uri, quàm ſic manere: ità improbo mori, quàm ſic vivere, inquit Jamblichus apud Hug. Grotium L. 2. de jure belli & pacis. C. 20. p. 367. 4. Quod carceres & plagæ majorem ſint habituræ effectum, quàm ſupplicia, publice impacta, nemo facilè nobis perſuaſerit, nec fortean D. etiam Chryſoſtomo, dicenti: Si legibus dominantibus, & vigente comminatione atq; ſupplicio, vix tamen voluntates cohibentur malignæ; ſi hoc etiam præſidium defuturum eſſet, quânam poſſet malitia ratione frænari? Hom. 16. in Matt. p. 161.

Finimus itaq; hunc Caſum verbis B. Hieronymi: Magiſtratus civilis tenetur ad miniſterium Legum, & ad ſumendum de ſontibus dignum ſupplicium. Dum enim malos percutit in eo, quòd mali ſunt, & habet vaſa interfectionis, ut OCCIDAT peſſimos, Miniſter eſt Dei, ex Lib. IV. ſup. Ezech.

Utrum

## X.

# Utrùm Magiſtratus Politicus Subditis ſuis poſſit, bonâ cum Conſcientiâ, imponere juramentum Religionis?

Per juramentum Religionis, nihil aliud intelligimus, quàm, ſi quis, interpoſitô jurejurandô & atteſtatione nominis divini, promittat, ſe in veritate dogmatum, ex S. Scriptura deductorum & firmis argumentis corroboratorum, nec non rectè à ſe perceptorum & cognitorum, impoſterùm, DEO auxiliante, permanſurum, & omnem diverſam opinionem cane & angue pejus evitaturum eſſe. Quæritur autem: utrùm Magiſtratus, tale jusjurandum & atteſtationem Dei, à ſuis Subditis licitè poſſit requirere? Dedit occaſionem quæſtioni praxis ſuperiorum temporum, quando, neſcio per quos cuniculos, hæreſis Photiniana in Germaniam irrepſit, & multa egregia ingenia ita infecit, ut factâ defectione â noſtra religione, plenô agmine in caſtra Photinianorum transfugerint, & hinc inde venenum eorum diſſeminaverint. Ex qua re incredibilem dolorem ſuſcepit Magiſtratus Evangelicus, cum iſta potiſſimùm anxietate conjunctum, fore hâc ratione, ut ſeducti non modò in perditionem abeant: ſed & Tranſactio Paſſavienſis, quæ ad certam Auguſtanæ Confeſſionis teſſeram erat determinata, præſentiſſimum periculum ſubeat, & Regio pariter cũ Religione peſſum eat. Quapropter omnem adhibuit diligentiam, ut non modò ſeducti, operâ exercitatorum Theologorum, in rectam orbitam reducerentur: ſed & poſt factam converſionem, per autoritatem publicam juratâ fide aſtringerentur, ſe in veritate demonſtrata & cognita permanſuros, & abjuratâ omni heterodoxiâ, deinceps in præſcriptis aphoriſmis, ex Scriptura perquam ſolidè confirmatis, conſtanter acquieturos eſſe.

Verùm procedendi iſte modus nonnullis bilem in nares concivit, & ſiniſtram ſuſpicionem de Magiſtratu excitavit, ac ſi, in illo inſtituto, æquitatis limites tranſiliiſſet, & plus ſibi arrogâſſet, quàm recta Conſcientia, à partium ſtudio ſegregata, ei poſſet permittere. Rationes autem quibus adverſa pars innitebatur, erant hæ:

1. Quia Magiſtratui cura dũtaxat externi religionis exercitii competat; Conſcientia verò Deo ſarta retinenda in ſolidum, cui tamen dominaturus eſſet non minus Magiſtratus, ſi poteſtas imponendi juramentum Religionis ei tribueretur.

2. Quia ſic quilibet Magiſtratus, prætextu Religionis, ſuis ſubditis poſ-

 ſet

ſet laqueum injicere, eosq́; ad ſuam fidem aſtringere, ſive ea vera eſſet, ſive falſa, modò in ſuo cerebello pro verâ ſic habita, unicè ex iſto fundamento, quô ſibi integrum eſſe aſſerat, juramentum religionis imponere, ex quo manifeſtum emerſurum eſſet fidei dominium, contrà quàm Paulus olim docuerat: Non dominantes fidei veſtræ, 2. Cor. 1. ℣. 24.

3. Quia hoc modo religio ipſa non foret libera: ſed coacta; non moralis & profecta ex ſuaſionibus: ſed violenta, & introducta juramentorum depoſitionibus.

4. Quia quod Chriſto debeatur, per interventum hujuſmodi juramenti, ei detrahatur. Debetur enim, ut in unius illius verba juretur, quippe qui ipſiſſima veritas, falli & fallere neſciēs: dum verò Magiſtratus patitur, ut etiam in verba eorum juretur, qui neq́; Chriſtus ſint, neq́, privilegium nó errandi habeant, utiq́; Chriſto adimitur, quod ſuum eſt, & aliis tranſcribitur, quod nequaquam ad peculium eorum pertinet.

5. Quia hoc modo autoritas potius Magiſtratus & hominum ſuorum decreta, pro fidei norma agnoſcerentur, quàm ipſæ S. Literæ.

6. Scriptura ad fidei juratæ cynoſuram potius conformaretur, quam fides ad canonem Scripturæ, qui tamen præ aliis hoc nominis obtinet, ut ad eum omnis fides unicè exigenda, & quæ cum eo conſentit, amplectenda; quæ ei diſſentit, rejicienda ſit.

7. Quia Conſcientia jurantis ſic perpetuæ captivitati tradatur, quippe ne à minimo, quod juraverit, diſſentire auſa; nec potens, ut velim ſolidiora veritatis fundamenta liberè inquirat: ſed obſtricta, ut quæ ſemel juraverat, ſemper ſalva retineat, & quæ minima ex parte ab eis receſſerint, perpetuò convellat: Vel alios ſpiritus præterea probet, utrùm ex DEO, nec ne? ſed à ſpiritu ſuo, cui ſe, mediante juramentô, tanquam ex DEO prodeunti unicè addixerit, inſeparabiliter pendeat, & cæteros, quoscunq́; noverit à ſe diſſentire, tanquam alienos a *Deo*, repudiet & præcisè condemnet.

His tamen non obſtantibus, intrepidè pronunciamus, Magiſtratum, bonâ cum Conſcientiâ, ſubditis ſuis poſſe imponere juramentū religionis, dummodò ſequentes obſerventur circumſtantiæ:

1. Ut ipſe prius ſit converſus. ſic enim Chriſtus ad Petrum: converſus converte fratres tuos, Luc. 22. ℣. 32. ſecus, ducet cœcus cœcum, donec ambo in foveam incidant, Luc. 6. ℣. 39.

2. Ut Viros adhibeat ad conſcribendos fidei canones, qui exactam habeant linguarum cognitionem, præcipuè verò latinæ, græcæ & hebraicæ, ne ambiguitate vocum, quæ ſunt ſymbola rerum, vel offendant ipſi, vel offendantur alij: qui item judicium, & in Scriptura ſenſus e-

xerc-

exercitatiſſimos, quò verum à falſo, pretioſum à vili diſcernere, & illud eligere, hoc verò rejicere valeant: & tandem, qui ea Conſcientia integritate ſint præditi, ut nihil velint proponere, aut proponi, niſi quod nôrint, unicè ſpectaturum eſſe tam ad DEI gloriam, quam ſalutarem animarum ædificationem.

3. Ut neminem ad præſtandum juramentum adigat, niſi qui pervenerit ad annos diſcretionis, & Prophetiarum probationem ſciat inſtituere: qui tanquam gnarus trapezita, adulterinum numum diſcernat, & accuratâ veri inveſtigatione judicet, quibus ſit adhæreſcendum, a quibus recedendum. itaq; ſpatium deliberandi, & de propoſitis canonibus ſeriò cogitandi, nec non, quantum periculum perjurio immineat, indagandi, prius eſt indulgendum, & ſi qui oborti eſſent ſcrupuli, fundamentaliter eximendi, quàm â quoquam juramentum depoſcatur. abſit enim, ut unquam ſuadeatur juramentum indiſcretum, niſi peccari velit in Jeremiæ præceptũ, quo c. IV. 2. exigit, ut juramentum præſtemus in judicio, h. e. interprete Thoma, non tanquam incautum jumentum, ſed diſcretè, 2. 2. q. 89. art. 3.

4. Ut iſthac ſuâ juratoriâ cautione, præter DEI gloriam & animarũ ſalutem, nihil ulterius requirat, ſive alium ſcopum ſibi habeat præfixum, quàm ut fidei integritatem & Eccleſiarum tranquillitatem conſervet, ſeminandis turbis ac erroribus occaſionem præſcindat, tepidis ambidextris larvam detrahat, &, vel omnes Scripturæ conformiter dicere ac credere doceat: vel, aliud molientes metu pœnarum, ſuper perjurium conſtitutarum, tanquam infeſtos fucos â ſuis Ditionibus removeat.

Ratio noſtra, cui principaliter innitimur, fundatur in exemplis Virorum probatorum, & à Deo laudatorum, inter quos primas obtinet Moſes, fidelis in tota domo Dei, Heb. 3, ℣. 2. Is ſub religioſo jurejurando Iſraëlitas adegit, ut tranſirent in fœdus Domini, Deut. 29. ℣. 12. jurejurandô verò, ut tantò minus irritum facerent, quod Deo, per ſacrum ejus nomen, ſpopondiſſent. Hoc poſtmodũ imitantes Romani, etiam fœderibus ictis juramentũ ſuperinduxerunt, & per Jovem lapidem dejerârunt, quod illis ſolenne & ſanctiſſimum erat jusjurandum, ait Briſſonius de Formul. l. 8. p. 710.

Secundas Joſua obtinet. Hic, juxta nomen ſuum, magnus Vir fuit, ad conſervandos Dei electos, hoſtes conſurgentes ulciſcendos, & Iſraëlitas inducendos in poſſeſſionẽ, ait Eccl. 46. ℣. 2. & cũ videret, appropinquare finem vitæ ſuæ, convocavit populum, eiq; ab initiô tempus dedit ad deliberandum, utri deinceps ſervire vellet, verône Deo, an Diis gentium? Joſ. 24. ℣. 15. poſtea factâ electione & conſenſu in verum Deum, percuſſit fœdus cũ populo, & impoſuit ei præceptũ ac judiciũ, ℣. 25. h. e. interprete Maſio, in fœderis conditionibus etiam hoc incluſit, ut legis ſtatuta & judicia cuſtodirent:

dirent: Tandem verò fœdus iſtud, factas item à Joſua monitiones ac ſtipu-lationes, à populo autem ipſo reſponſiones ac teſtationes in certum volu-men collegit & repoſuit, ✝. 26.

Tertias David, Vir juxta cor & voluntatem Dei, 1 Sam. 13 ✝. 14. qui in hæc verba erupit: juravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ, Pſ. 119. ✝. 106. quô ſuô exemplô aliis piis mentibus lampada prætulit, quòd & illæ jurare, & apud ſe firmiter ſtatuere poſſint, ſe pariter decreta & ſtatuta e puro fonte Iſraëlis deſumta & deducta, Deo juvante, ad finem uſque am-plexuras & cuſtodituras eſſe.

Quartas Joſias, cui Spiritus S. tale perhibet teſtimonium, quòd fece-rit, quæ recta erant in oculis Jehovæ, 2. Reg. 22. ✝. 2. hic inventô librô Le-gis, novo fœdere, cui adjuratio ſine dubio erat conjuncta, quemadmodum ſuperius in fœdere Jehoiadæ Sacerdotis, 2. Reg. XI. 4. ſubditos adſtrinxit, ad religionem intemeratè cuſtodiendam, non abſentibus Prophetis, nec improbantibus, 2. Reg. XXIII. 2. 3.

Quid Nehemias de ſe & reverſis Iſraëlitis enunciat? annon, quod fœ-dus pepigerint, & execrationem atq; juramentum iniverint, ſe univerſos & ſingulos in Lege Domini ambulaturos eſſe? Neh. 10. ✝. 29. 30.

Hæc exempla tantorum Principum, quæ nemo hactenus vel impro-bavit, vel reprobavit, liquidò evincunt, juramentum Religionis in verbo DEI eſſe fundatum, & à ſubditis per legitimum Magiſtratum, præmiſſis tamen præmittendis, optimô titulô poſſe requiri; aſſenſum ſuum nobis præ-bentibus etiam aliis Theologis, Georgio Dedekenno vol. 2. Conſil. Theol. p. 339. n. 6. Frid. Balduino, Conc. 67. ſuper Joſ. p. 880. & Joh. Gerhardo, Tom. VI. Loc. Theol. p. 871. §. 210.

Ad rationes verò, in contrarium allatas, ſic reſpondemus, & quidem ad primam, 1. quando dicitur, Magiſtratui habendam tantùm curam ex-terni Religionis exercitii, non hunc habet ſenſum, quaſi id ſolummodò ſit partium Magiſtratus, proſpicere, ut Miniſtri Verbum purè doceant, & Sa-cramenta ritè adminiſtrent; Auditoribus nihilominus ad lubitum viventi-bus, & vel credentibus, vel non credentibus, vel benè, vel malè viventibus; Sed, quod formales & internæ Miniſterij partes, quales ſunt: publicè Ver-bum prædicare, & Sacramenta diſpenſare &c. Magiſtratui Politico non competant, quippe Miniſtris eccleſiaſticis adæquatæ & propriæ; interea tamen tenetur idem Magiſtratus ſuppetias ferre ſuo Miniſterio Eccleſiaſti-co, ne labor illius in vanum abeat, ſed internè puro corde ſuſcipiatur, & exercendis actionibus ab Auditoribus exerceatur & demonſtret [illegible] [illegible] us expeditum dabitur, quantò arctius ad certam Confeſſionis formulam fecerint aſtricti.

2. Di-

1. Diſtinguendum eſt inter *Dominium*, quod eſt vel δεσποτικὸν, vel πολιτικὸν, ex Ariſtotele, 1. Pol. 4. Dominium δεσποτικὸν eſt, quando quis alterum ad obedientiam cogit, ſive velit, ſive nolit. πολιτικὸν verò, quando blandâ regiminis formâ alliciat potius, quam ut compellat. Illud derogamus Magiſtratui, & referimus huc dicta Maximiliani I. Imperatoris Rom. pronunciantis, nullam eſſe majorem pejus Remp. adminiſtrantibus, quàm dominari velle Conſcientiis; quæ imperandi ratio dura eſſet carnificina, ex Gerhardo in Coronid. *Cent.* qq. Pol. concl. 34 [illegible]. & Stephani Botorei, Polonorum Regis, aſſerentis, Tria ſibi reſervaſſe Deum, Ex nihilo aliquid facere, ſcire futura, & dominari velle Conſcientiis, ex Ant. Benbellona de Godentiis ad pragm. *C*onſtit. de pace Rel. part. 2. c 12. p. 104: Hoc verò eidem aſſignamus, moti exemplo *P*rophetæ Azariæ, ſuadentis, & Regis Aſæ exequentis fœdus, ut in Judæa quærerent Johovā DEUM Patrum ſuorum toto corde ſuo & tota anima ſua. *E*t quicunq; nō quæſierit Jehovam Deum Iſraëlis, interficiatur à parvo usq; ad magnum, à Viro usq; ad mulierem. Et ecce! juraverunt voce magnâ, & cum jubilo, & buccinis. Lætati autem ſunt univerſus Jehuda ſuper juramento. Toto enim corde ſuo juraverant, & totâ voluntate ſua quæſierant eum: & inventus eſt eis, & requiem præſtitit eis Jehova per circuitum, 2. Par. XV. 12. & ſeq.

Deinde ad ſecundam, 1. diſtinguendò inter poteſtatem abſolutam & limitatam. Exceptio tunc valeret, ſi Magiſtratui tribueremus poteſtatem abſolutam, inſtituendi & ſubditis ſub juramento proponendi, quicquid in buccam veniret, aut rectum videretur in oculis ipſius: quod nunquam nobis venit mentem. Poteſtas illius, eſt potius limitata, & ad ductum Verbi divini alligata, nihil ſcilicet ſub religione jurisjurandi imponendi in fide & doctrina, niſi, quod ſit vel ipſum Dei Verbum, vel undiquaq; ei cōſentaneum. Huc pertinet præpoſtera praxis Principum, tempore D. Lutheri, de quibus pius *P*ater olim ſic conquerebatur: Der Seelen ſol und kan Niemand gebieten/ er wiſſe denn ihr den Weg zuweiſen gehn Himel/ daß kan aber kein Menſch thun/ ſondern GOtt allein. Darumb in den ſachen die der Seelen Seligkeit betreffen/ ſol nichts dañ Gottes wort angenohmen und gelerет werden. Noch fahren unſere kluge Fürſten alſo/ und laſſen ſich Bapſt/ Biſchoff und Sophiſten dahin führen/ ein Blinder den andern/ daß ſie ihrē Unterthanē gebieten zu glaubē ohne Gottes wort/ wie ſie es gut dünckt/ T. 2. Jen. Germ. f. 179. & T. 6. Witeb. f. 575.

2. Textum Paulinum ex 2. Cor. 1. ℣. 24, dextrè interpretando. Senſus illius non eſt, ac ſi Paulus non auderet, pro apoſtolica autoritate, aliquid ad credendum imponere Corinthiis. hoc enim everſurum eſſet verba ejus, ſuperius commemorata: Ego ut peritus architectus fundamentum poſui, 1. Cor. 3. ℣ 10. audebat utiq; verùm, non ut Dominus, ſed ut miniſter.

hinc eodem cap.3.✠.5 inquit: Quis Paulus? quis Apollo [illegible] per quos credidistis: ſed vult ſe ſolùm eo loci explicare, quid [illegible] iſta ſermocinatione: parcens vobis non veni Corinthum. potuiſſent enim id Corinthii eo rapere, tanquam paulò arrogantius dictum, & affectati dominii in fidem ipſorum indicium: cui obviandô docere pergit, ſibi tale [illegible] nunquam animo ſediſſe. probè enim ſe nôſſe, dominium in fidem alii competere, non ſibi; miniſtrum ſe duntaxat eſſe fidei, non magiſtrum. [illegible] jungit: ſed ut adjutor eſſem veſtri gaudii, i.e. ſupervenientib⁹ meis paternis correctionibus, conſcientiam veſtram memoriâ rectè factorum ſedarem, & recrearem, quæ graſſante apud Vos ulteriore morum pravitate (cæteroqui de fide, quâ ſtatis, non habeo, quod conquerar) facilè poſſet turbari, & ſpirituali ſuo gaudio privari. Dum verò in eodem Magiſtratus [illegible] dat, ut nempe, intervenientibus atteſtationibus, conſcientia gaudium magis intemeratum conſervetur, quàm, intermiſſione earum, [illegible] vagabundum relinquatur, quid allegatus textus contra faci[illegible] conſpicor.

Porrò ad Tertium I. Religio debet eſſe libera, quatenus [illegible] opponitur coactio. quia Religio cogi non poteſt; verbis potius quàm [illegible] res agenda eſt, ut ſit voluntatis, inquit Lactant, 5. Inſt. c.20. [illegible] dit Tertull. Religionis non eſt cogere ad religionem, quæ [illegible] debet, non vi, l. ad Scapul. c. 2. Ut enim Deus olim voluit [illegible] tarium, & ſervitium non coactum, Lev. 19 ✠.5. ſic in N. T. [illegible] ſpontaneum, Pſ.110 ✠ 6. Cant.6.✠ 11. Non vero debet eſſe libera, [illegible] liberũ opponitur *ἀταξία* ſive certô ordine determinato, & idẽ [illegible] licentioſum, quaſi in Religione vaga licentia quidvis docendi & credendi eſſet permittenda. Hoc enim foret contra monitum Pauli, dicentis: In Eccleſia omnia fiant ordine & decenter, 1. Cor. 14. ✠.40. & [illegible] tueret Libertiniſmum, qui inter alia docebat, homini omnia eſſe licita [illegible] ulla exceptione, omneq; genus credendi & vivendi probabat, teſte R[illegible] ſuo Atheiſmo, p.356. Ordinanda igitur eſt â Magiſtratu, per Miniſterium [illegible] ex Scripturis certa credendorum & faciendorum formula, & diligenter ſubditis inculcanda ac explananda, donec conſpectâ ejus panharmonia, & liquidâ cum Scripturis convenientia, in unum coeant, & manifeſtatæ veritati utramq; manum porrigant.

2. Nihil hic intercedit, quod moralem cauſalitatem excedat, aut violentiam involvat. Ipſe enim conſidera, dum adducuntur documenta ex Scriptura, quæ inter ſe & cum aliis textibus conferuntur, publicè & privatim [illegible] cantur, quæ pugnare videntur, conciliantur, oborti ſcrupuli eximuntur, & [illegible] omnia quadrare, atq; fidei analoga eſſe deprehenduntur, ea porrò [illegible]

dicta

ditis interpoſitâ fide conſtabilienda referuntur &c. an non hæc omnia fraternam potius,& ſpontè ſuſceptam combinationem, quâ in religione Magiſtratui & ſubditis idem ſit animus & mutua concordia credendi, quàm violentiam turgidamve coactionem ſapere videntur? certè accuratiſſimus Dunte aliter judicare non potuit, alioqui quæſtionem, Wird man aber hierdurch nicht zum Glauben gezwungen? non in hunc modum decidiſſet: Nein; Sondern die Obrigkeit vergleicht ſich mit denn unterthanen Gutwillig auf eine Lehre/und iſt hie gantz kein zwang/ in Caſibus Conſcientiæ p. 691.

Quoad quartam, reſpondemus I. nihil hic detrahi de honore Chriſti, licet etiam in verba Confeſſionum juretur. quia aliter docemus, in verba Chriſti eſſe jurandum, aliter in formulas confeſſionales: in illa, abſolutè nimirum; in has verò, tanquam verbis Chriſti conſentaneas qua limitatione obſervatâ, utrique honor ſuus ſalvus manebit & impermixtus.

Neq; tamen 2. eliciendum hinc: Ergo modificata juramenta erunt adhibenda, in hunc fortè ſenſum: Ego ſuper hac Confeſſione juro, quaten⁹ verbis Chriſti eſt conſentanea. nulla enim hic militat ſequela. Etenim aliud eſt, abſolutè jurare, quod tantùm in verba Chriſti eſt faciendum: aliud cum reſpectu ad verba Chriſti, quibus unaquæq; fidei confeſſio conformis eſſe debet ac conſona (quod licitè præſtabitur a morigeris ſubditis) aliud item cum reſtrictione, quatenus confeſſio æqua ſit & verbis Chriſti conſentiens &c. quod poſtremum meritò ubique improbatur atq; exploditur. Quoniam, ratione hac, ſuſpecta redderetur omnis Confeſſio, ac ſi iſthæc præter cōſentanea verbis Chriſti complecteretur etiam alia, quę eſſent ab iiſdē diſſentanea: quin poſſet hoc modo in quamcunq; confeſſionem jurari, ne Alcoranô quidē exceptô, modò aliquid de verbis Chriſti contineret, licet reliqua omnia eſſent heterodoxa. Idcircò aliter res inſtituenda, nempe ſic: ante omnia oblata Confeſſio, aut Scriptum Normale, accuratè eſt examinandum, & ad lydium Scripturæ lapidem revocandum, cum qua ſi undiq; conſentit, & ego in mea conſcientia ità ſum convictus, omnia ibi, etiam rigidiſſimum examen, ſuſtinuiſſe & ſuperaſſe; nec quicquam adeſſe, quod in cœleſtem veritatem impingat ullô modô, tunc ſuper eo Scripto porrò, bonis & honeſtis rationibus, præſtare poſſum juramentum ſimplex, hoc eſt abſq; ulla reſtrictione, in hanc formam: Quia talia ſcripta ſancta & incorrupta cognoſco ac agnoſco, juro, me nunc & in poſterum ea æquè pro talibus habiturum, & in iis firmiter perſtiturū eſſe, ità me Deus juvet! Si verò deprehendero, ὕπεγλον hîc latere, & impura puris eſſe permixta, præſtat penit⁹ indè abſtineā, quàm ut juramentô fidē aſtringā, etiā ſub latiſſima reſtrictione, ne ſimul omnia, vera cum falſis, approbâſſe exiſtimer, atq; incōſiderato

ratô hoc factô famæ & Conſcientiæ meæ maculam, Proximo verò periculoſum ſcandalum accerſam. Nam addecet bonos, etiam ab ſe ſuſpicionem ut ſegregent. --- *Paulum etenim diſtare videtur*

*Suſpectus, verusq; reus* ---

inquit Auſonius in Oratione Ephemeridis, V. 63. 64. Ergò ſedulò hic cavebo, ne vero crimine lædar, nec maculer dubio!

Quinta ratio facilè diluitur diſtinctione inter normam normantem & normatam. Sacræ literæ ſunt norma normans; Confeſſiones & alia ſcripta *S*ymbolica, duntaxat norma normata, & non, niſi cum reſpectu ad conſonantiam cum ſuperiore illa norma, recipienda & approbanda. Ergò etiam ſic ſacris Literis manet ſua prærogativa, & reliquis ſcriptis, quocunq; ſpecioſô titulô veniant, ne æqualis quidem cum illis tribuitur [illegible], multò minus prævalens.

Sexta committit fallaciam Conſequentis. Non enim ſequitur: Tu ſuper quibusdam Articulis, ex Scriptura [illegible], juras. ergo fides tua jurata eſt cynoſura, ad quam conformanda ipſa Scriptura, & aliorum Scripturæ dictorum interpretationes. Scriptura enim ſemper manet Scriptura, h. e. fidei & morum cynoſura in perpetuum; dum autem ex illa colliguntur certi articuli, ſive fidei, ſive moribus informandis apti, de quorum veritate Tu in mente convictus, aliter judicare non potes, niſi, quòd ità Scripturæ ſint conformes, ut etiam juratus in eorum [illegible] am abire auſis, tunc articuli iſti non fiunt ipſa Scriptura, ſed manent concluſiones, ex Scriptura, tanquam principio, deductæ: & merentur fidem & juramentum, non propter ſuam propriam autoritatem, ſed propter aliorum, nempè propter Scripturæ conformitatem, in quam fides & juramentum tuum ultimatè reſolvuntur, in tantum, ut ſublatâ Scriptura & ejus conformitate, ne articuli quidem tales conſcribi, multò minus jurato ab [illegible] I [illegible] verari potuiſſent. Deinde, quando ad iſtos juratos articulos aliorum dictorum interpretationes exiguntur & conferuntur, tunc iſti articuli [illegible] tanquam cynoſura, conſtituuntur: ſed Scriptura, in qua ipſi articuli fundabantur, per *S*cripturam explicatur, cui iſtæ interpretationes conformes deprehenſæ, æquè dignæ judicantur, quæ, ſicuti cæteri Articuli, Magiſtratus autoritate accedente, ſub jurata fide poſſint ſuſcipi.

In Septima & ultima multa coacervantur, quæ diſtinctè [illegible] proponi. 1. Nulla hic [illegible] captivitas: ſed mera & liberalis Conſeſſio [illegible], quâ ei ſocietati te adjungis, quæ veritatem ex Scripturis cognovit, cognitam in certa capita redegit, &, per ea, mentem tuam uſque adeo exſatiavit, ut pro tempore ſecus ſtatuere non poſſis, quin id, quod ſubire & recipere debeas, ità confirmatũ ſit, ut quod confirmatius eſſe poſitus nõ videas, neq; habeas alterius, cur in rei teſtimoniũ juramentũ detrectes. 2. Num

2.Non præciditur veritatis ſtudium.licet enim in fundamenta iſtorum capi. tum ſolicitè inquirere,&,ſi illa juſta deprehenſa fuerint, in veritatis ſtudiô ſemper ulterius progredi,donec,ſi non culmen, ſaltem proximum ejus gradum attingas.ſemper quippe reſtat,quod addiſcas, & prius vita, quam doctrina te deſtituet. 3.Probatio ſpirituum non tollitur,ſed præſupponitur. debet enim juramentum præcedere,ne evadat cæcum & indiſcretū, ſed ſit ex recto judicio profectum,Jer.IV.2.& quisquis diſcernendi vim à Deo accepe rit,imperitum tamen paſtorem ſecutus fuerit,aut falſam opinionem pro vera amplexus(nedum juramentô tuitus) punietur â Deo quàm certisſimè,inquit Ignatius Ep.ad Epheſ.p.230. 4. Non tenetur eos, qui ab his doctrinæ capitib⁹ recedunt, tanquam alienos ſtatim repudiare, multò minus condemnare:Sed,ſi corrigibiles ſint,& errent ex imbecillitate judicii,tolerare & in viam revocare;ſin incorrigibiles& errent ex malitia,judicio *D*ei relinquere, & ſe ex conſortio eorum eximere.5.Nec juramentum tale huc ſpectat,ut verum,ſi poſtmodùm appareat,non liceat apprehendere,& priſtinum juramētum reſcindere.Jurandum enim eſt in juſtitia,Jer.4.v.2.h.e. interprete Suario,de re,quæ honeſtè & ſtudioſè poteſt impleri, T.2.de Virt.& ſtatu Relig. p.280.qualis non eſt falſitas deprehenſa& in lucem protracta, etiamſi prius juramentô ſit aſſerta. Sicut enim juramentum non eſt vinculum iniquitatis, ità nec falſitatis;hoc tamē cave intermittas,quin Deum tunc ardenter invoces,ne tibi imputet,quód, cum olim,vel ex Superiorum importunitate,vel ex *E*ccleſiaſticorum malignitate,vel ex proprii judicii imbecillitate,in aliud juramentum conſenſeris,nunc re penitius perſpectâ,per *D*ei gratiam,reſciſſum velis,ne tuam ſalutem ſufflamine ſtringas. Quo nomine etiam facilius excuſabitur B.noſter Lutherus,qui, licet primâ vice Religioni pontificiæ fidem dederit,alterâ tamen,quando falſam eam deprehendit,illiusq; defenſionem injuſtam,ab ea reſilivit,& juramentum rupit, præter ullum conſcientiæ cauterium,quicquid contrà deblateret Becanus,in Manuali l.V.c.14.§.4 immemor fortaſſis ſuorum ipſius verborum, T.2.Opuſ.in Tortur.Tort parad.XII.p.545.dum inquit:an ergò putas,nimini integrum eſſe,mutare religionem,ſi juraverit,ſe non mutaturum? At ſi falſa ſit religio,quam juravit ſe ſervaturum,quid tunc aget?Perſiſtet potius in falſa religione,quàm juramētum violet?cave dixeris.Juramentum,ajunt JCTI, non eſt vinculum iniquitatis: Addo ego,nec falſitatis. Igitur,non obſtante juramentô,quantumvis ſæpè repetitô, poteſt quis mutare religionem,ſi falſa ſit; poteſt reſcindere pactum, ſi iniquum ſit.NIHIL CERTIUS!

Proindè putarem ego, τῷ πρέποντι Miniſterii eccleſiaſtici non admittere hoc, ut Magiſtratui litem intendat, de loco decertet, aut quovis modo ſe illi anteponat: ſed ultrò cedat, infulam & pedum ad pedes ejus abijciat, partes primas ubiq; deferat, & omni honore, etiam ſacerdotali, ſuperiorem æſtimet. Sic enim inceſſurum eſſet modeſtiæ Apoſtolorum convenienter, imò exemplo Chriſti conformiter, qui non uſurpabat politicum dominium; ſed prædicabat Evangelium: non agebat ſecularem *Principem*; ſed ſpiritualem Sacerdotem: non terebat in Mundo tempus Majeſtatis; ſed premebat veſtigia humilitatis. Præſertim cum eò etiam pelliceant ſeriæ Patrum atteſtationes, non tantùm ſupereminentiam Poteſtatibus deferentes: ſed & dominium *S*acerdotibus abrogantes. Sic enim Tertull. in Apol. c. 30. Sciunt Imperatores, quis illis dederit imperium; cum DEUM eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, â quo ſunt ſecundi: poſt quem primi ante omnes, & ſuper omnes Deus. Et Optatus l. 3. de ſchiſm. Donatiſtarum: Cum ſuper Imperatorem non ſit, niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatores, dum ſe *D*onatus ſuper Imperatorem extollit, jam quaſi hominum exceſſerat metas, ut ſe tanquam *D*eum, non hominem, æſtimaret; non verendô eum, qui poſt Deum ab hominibus timebatur. Similiter ipſe Chryſoſtomus hom. 2. ad pop. Antioch. Læſus eſt (Theodoſius videlicet) qui non habet parem ullum ſuper terram, ſummitas & caput omniũ ſuper terram hominum &c. Ità priſcis temporibus ſentiebant Chriſtiani de Magiſtratu, præſertim ſummo, ipſum im̃ediatè proximum *Deo*, & ſolo Deo minorem, cæteris verò omnibus ſuperiorem conſtituentes. De incompetentia verò dominatûs, ſequentia leguntur apud Bernhardum l. 2. de conſiderat. ad Eugen. c. 5. col. 1021. I tu & Tibi uſurpare aude, aut dominans apoſtolatum, aut apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis; ſi utrumq; ſimul habere voles, perdes utrumq;: forma Apoſtolica hæc eſt, dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio, quæ commendatur exemplô Legislatoris: Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat!

Nec cõtra hoc faciũt Veteres Eccleſiæ Doctores qui tot & tãta ἀξιώματα Sacerdotibus tribuerunt, ut Regibus etiã eos prætulerint. Non enim ideò factũ, ac ſi Sacerdotes Dominos; Reges autẽ eorũ ſervos ſive ſubditos conſtituere voluiſſent. ſic enim præcepto Petrino è diametro contradixiſſent: ſubjecti eſtote Regi, ὡς ὑπερέχοντι, 1. c. 2. ℣. 13. & Chriſti factũ, quo tributũ perſolvit, Matt. 17. ℣. 27. & judicio Pilati ſe ſtitit, in eo recognoſcens ἐξουσίαν κατ' αὐτοῦ, ſupernè collatam, Joh. 19. ℣. 11. ſugillâſſent: quin imò toti Apoſtolorum choro, poteſtatem Magiſtratus legitimam nunquam declinanti, Act. V. 27. 41. dicam ſcripſiſſent:

Sed longè alio fecerunt fine atq; reſpectu, nempè 1. ut Miniſterium

tantò

tantò redderent commendabilius. Multi enim quôvis ſeculô reperiebantur, qui partim odiô, partim pravô judiciô acti, Miniſterium eccleſiaſticum carpebant, ſummiſsè imò ſcabiosè de eo loquebantur, & vix poſtremæ conditionis locô habendum pronunciabant, ſaltem, ut alios ab hoc munere ſuſcipiendo abſterrerent, ac functiones Eccleſiaſticas illis exoſas redderent: Huic malo obviare volentes Patres, Miniſterium contrà extulerunt, & tantis præconiis condecorârunt, ut etiam mundanis regnis illud præponerent, & per hoc dignum declararent, quod ab omnibus coleretur potius & ambiretur, quàm contemneretur aut rejiceretur.

2. Ut miniſterio autoritatem conciliarent apud Magiſtratum politicum. Solent interdum civiles perſonæ myſtagogos minus civiliter tractare, & poſthabitâ omni reverentiâ miniſterio debitâ, Ruſticellorum ſuorum locô habere (qui abuſus eſt politicæ poteſtatis) quam ut moderarentur Patres, & in ordinem redigerent, Miniſterium ſublimârunt, & mundanis etiam regnis prætulerunt, reſpicientes potiſſimùm ad ſubjectum, in quo occuparetur, quale ſunt myſteria divina; & ad objectum, circa quod verſaretur, ut eſt, animæ ſalus, quæ cum nullo mundano lucro comparanda, Matt. XVI. 26. quæ ſi ritè adminiſtrentur, in oculis Dei lucere, quovis Regno ſplendidius. Ob hanc cauſam etiam ejus Sacerdotes, â politico Magiſtratu, non ut vernas ſuos: ſed ut divinos myſtas, imò ut legatos & cooperarios Dei, rerumque æternarum, non mundanarum curatores, decenter omninò tractandos, & debitâ reverentiâ proſequendos eſſe. Pertinet huc exemplum Gregorii Magni, qui cum â Mauritio Imperatore infra dignitatem epiſcopalem tractatus fuiſſet, modeſtè eum in modum ipſi reſcripſit: Piiſſimus Dominus, ſacerdotibus non ex terrena poteſtate citius indignetur, ſed excellenti conſideratione propter eum, cujus ſervi ſunt, eis ità dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat, Tom. 2. l. 4. Epiſt. 31. (aliàs 75.) col. 790. & paulò pòſt ibidem ſubjicit: Eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur, cum, piæ memoriæ, Conſtantino Principi in ſcripto oblatæ accuſationes contra Epiſcopos fuiſſent, quòd libellos quidem accuſationis acceperit, & eosdem, qui accuſati fuerant, Epiſcopos convocans, in eorum conſpectu libellos, quos acceperat, incenderit dicens: Vos Dii eſtis, â vero Deo conſtituti. Ite & inter vos cauſas veſtras diſcutite, quia dignũ non eſt, ut nos judicemus Deos. Addit tamen hîc ſtatim, per quandam ἐπανόρθωσιν Gregorius: In qua tamen ſententia, pie Domine, ſibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præſtitit ex reverentia impenſa.

3. Ut utrumq; ordinẽ de ſuo officio rectiꝰ informarent, eſſe nimirũ Eccleſiaſtici, regere ſuã Eccleſiã, & divina jura temperare: viciſſim politici, ſceptra faſceſq; gubernare, ſed ita, ut unà etiã Miniſtrorũ rationẽ habeat, in ſpiritua-

dirent: Tandem verò fœdus iſtud, factas item à Joſua monitiones ac ſtipulationes, à populo autem ipſo reſponſiones ac teſtationes in certum volumen collegit & repoſuit, ℣. 26.

Tertias David, Vir juxta cor & voluntatem Dei, 1. Sam. 13 ℣. 14. qui in hæc verba erupit: juravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ, Pſ. 119. ℣. 106. quô ſuô exemplô aliis piis mentibus lampada prætulit, quod & illæ jurare, & apud ſe firmiter ſtatuere poſſint, ſe pariter decreta & ſtatuta, è puro fonte Iſraëlis deſumta & deducta, Deo juvante, ad finem uſque amplexuras & cuſtodituras eſſe.

Quartas Joſias, cui Spiritus S. tale perhibet teſtimonium, quòd fecerit, quæ recta erant in oculis Jehovæ, 2. Reg. 22. ℣. 2. hic inventô librô Legis, novo fœdere, cui adjuratio ſine dubio erat conjuncta, quemadmodum ſuperius in fœdere Jehoiadæ Sacerdotis, 2. Reg. XI. 4. ſubditos aſtrinxit, ad religionem intemeratè cuſtodiendam, non abſentibus Prophetis, nec improbantibus, 2. Reg. XXIII. 2. 3.

Quid Nehemias de ſe & reverſis Iſraëlitis enunciat? annon, quod fœdus pepigerint, & execrationem atq; juramentum iniverint, ſe univerſos & ſingulos in Lege Domini ambulaturos eſſe? Neh. 10. ℣. 29. 30.

Hæc exempla tantorum Principum, quæ nemo hactenus vel improbavit, vel reprobavit, liquidò evincunt, juramentum Religionis in verbo DEI eſſe fundatum, & à ſubditis per legitimum Magiſtratum, præmiſſis tamen præmittendis, optimô titulô poſſe requiri; aſſenſum ſuum nobis præbentibus etiam aliis Theologis, Georgio Dedekenno vol. 2. Conſil. Theol. p. 339. n. 6. Frid. Balduino, Conc. 67. ſuper Joſ. p. 880. & Joh. Gerhardo, Tom. VI. Loc. Theol. p. 871. §. 210.

Ad rationes verò in contrarium allatas, ſic reſpondemus, & quidem ad primam, 1. quando dicitur, Magiſtratui habendam tantùm curam externi Religionis exercitii, non hunc habet ſenſum, quaſi id ſolummodò ſit partium Magiſtratus, proſpicere, ut Miniſtri Verbum purè doceant, & Sacramenta ritè adminiſtrent; Auditoribus nihilominus ad lubitum viventibus, & vel credentibus, vel non credentibus, vel benè, vel male viventibus: Sed, quod formales & internæ Miniſterij partes, quales ſunt: publicè Verbum prædicare, & Sacramenta diſpenſare &c. Magiſtratui Politico non competant, quippe Miniſtris eccleſiaſticis adæquatæ & propriæ; Interea tamen tenetur idem Magiſtratus ſuppetias ferre ſuo Miniſterio Eccleſiaſtico, ne labor illius in vanum abeat, ſed internè puro corde ſuſcipiatur, & externè ſanctis actionibus ab Auditoribus exerceatur & demonſtretur, quod tantò felicius expeditum dabitur, quantò arctius ad certam Confeſſionis formulam fuerint aſtricti.

2. Di-

2. Diſtinguendum eſt inter *Dominium*, quod eſt vel δεσποτικὸν, vel πολιτικὸν, ex Ariſtotele, 1. Pol. 4. Dominium δεσποτικὸν eſt, quando quis alterum ad obedientiam cogit, ſive velit, ſive nolit: πολιτικὸν verò, quando blandâ regiminis formâ illicit potius, quam ut compellat. Illud derogamus Magiſtratui, & referimus huc dicta Maximiliani I. Imperatoris Rom. pronunciantis, nullam eſſe majorem peſtem Reip. à miniſtrantibus, quàm dominari velle *Conſcientiis*; quæ imperandi ratio dura eſſet carnificina, ex Gerhardo in Coronid. *Cent*. qq. Pol. concl. 54 ... & Stephani Botorei, Polonorum Regis, aſſerentis, Tria ſibi reſervaſſe Deum, Ex nihilo aliquid facere, ſcire futura, & dominari velle Conſcientiis, ex Ant. Benbellona de Godentiis ad pragm. *Conſtit*. de pace Rel. part. 2. c 12. p. 104: Hoc verò eidem aſſignamus, moti exemplo *Prophetæ* Azariæ, ſuadentis, & Regis Aſæ exequentis fœdus, ut in Judæa quærerent Johovâ DEUM Patrum ſuorum toto corde ſuo & tota anima ſua. *Et* quicunq; non quæſierit Jehovam Deum Iſraëlis, interficiatur à parvo usq; ad magnum, à Viro usq; ad mulierem. Et ecce! juraverunt voce magnâ, & cum jubilo, & buccinis. Lætati autem ſunt univerſus Jehuda ſuper juramento. Toto enim corde ſuo juraverant, & totâ voluntate ſuâ quæſierant eum: & inventus eſt eis, & requiem præſtitit eis Jehova per circuitum, 2. Par. XV. 12. & ſeq.

Deinde ad ſecundam, 1. diſtinguendô inter poteſtatem abſolutam & limitatam. Exceptio tunc valeret, ſi Magiſtratui tribueremus poteſtatem abſolutam, inſtituendi & ſubditis ſub juramento proponendi, quicquid in buccam veniret, aut rectum videretur in oculis ipſius: quod nunquam nobis venit mentem. Poteſtas illius, eſt potius limitata, & ad ductum Verbi divini alligata, nihil ſcilicet ſub religione jurisjurandi imponendi in fide & doctrina, niſi, quod ſit vel ipſum Dei Verbum, vel undiquaq; ei cõſentaneum. Huc pertinet præpoſtera praxis Principum, tempore D. Lutheri, de quibus pius *P*ater olim ſic conquerebatur: Der Seelen ſol und kan Niemand gebieten/ er wiſſe denn ihr den Weg zuweiſen gehn Himel/ daß kan aber kein Menſch thun/ ſondern GOtt allein. Darumb in den ſachen/ die der Seelen Seligkeit betreffen/ ſol nichts dañ Gottes wort angenohmen und geleret werden. Noch fahren unſere kluge Fürſten alſo/ und laſſen ſich Bapſt/ Biſchoff und Sophiſten dahin führen/ ein Blinder den andern/ daß ſie ihre Unterthanẽ gebieten zu glaubẽ ohne Gottes wort/ wie ſie es gut dünckt/ T. 2. Jen. Germ. f. 179. & T. 6. Witeb. f. 575.

2. Textum Paulinum ex 2. Cor. 1. ℣. 24, dextrè interpretando. Senſus illius non eſt, ac ſi Paulus non auderet, pro apoſtolica autoritate, aliquid ad credendum imponere Corinthiis. hoc enim everſurum eſſet verba ejus, ſuperius commemorata: Ego ut peritus architectus fundamentnm poſui, 1. *Cor*. 3. ℣. 10. audebat utiq;; verùm, non ut Dominus, ſed ut miniſter.

 hinc

hinc eodem cap.3.℣.5 inquit: Quis Paulus? quis Apollo? [illegible] miniſtri, per quos credidiſtis: ſed vult ſe ſolùm eo loci explicare, quid intellexerit iſta ſermocinatione: parcens vobis non veni Corinthum. potuiſſent enim id Corinthii eò rapere, tanquam paulò arrogantius dictum, & affectati domini in fidem ipſorum indicium: cui obviandò docere pergit, ſibi tale quid nunquam animo ſediſſe. probè enim ſe nôſſe, dominium in fidem alii competere, non ſibi; miniſtrum ſe duntaxat eſſe fidei, non magiſtrum. ideo ſubjungit: ſed ut adjutor eſſem veſtri gaudii, i.e. ſupervenientib⁹ meis paternis correctionibus, conſcientiam veſtram memoriâ rectè factorum ſedarem, & recrearem, quæ graſſante apud Vos ulteriore morum pravitate (cæteroqui de fide, quâ ſtatis, non habeo, quod conquerar) facilè poſſet turbari, & ſpirituali ſuo gaudio privari. Dum verò in eodem Magiſtratus deſudat, ut nempe, intervenientibus atteſtationibus, conſcientiæ gaudium magis intemeratum conſervetur, quam, intermiſſione earum, [illegible] & vagabundum relinquatur, quid allegatus textus contra faciat, nondum ſatis conſpicor.

Porrò ad Tertium I. Religio debet eſſe libera, quatenus [illegible] opponitur coacto. quia Religio cogi non poteſt; verbis potius quam [illegible] res agenda eſt, ut ſit voluntatis, inquit Lactant. 5. Inſt. c.20. [illegible] tradit Tertull. Religionis non eſt cogere ad religionem, quæ [illegible] debet, non vi, l. ad Scapul. c.2. Ut enim Deus olim voluit [illegible] tarium, & ſervitium non coactum, Lev. 19. ℣.5. ſic in N. T. [illegible] ſpontaneum, Pſ.110. ℣.6. Cant.6.℣.11. Non verò debet eſſe libera, quatenus liberû opponitur ἐυτάκτῳ ſive certô ordine determinato, & idê ſignificat ac licentioſum, quaſi in Religione vaga licentia quidvis docendi & credendi eſſet permittenda. Hoc enim foret contra monitum Pauli, dicentis: In Eccleſia omnia fiant ordine & decenter, 1.Cor.14. ℣.40. & poſtliminio reſtitueret Libertiniſmum, qui inter alia docebat, homini omnia eſſe [illegible] ulla exceptione. omneq; genus credendi & vivendi probabat, teſte R[illegible] ſuo Atheiſmo, p.356. Ordinanda igitur eſt â Magiſtratu, per Miniſterium, ex Scripturis certa credendorum & faciendorum formula, & diligenter ſubditis inculcanda ac explananda, donec conſpectâ ejus panharmoniâ, & liquidâ cum Scripturis convenientia, in unum coeant, & manifeſtatæ [illegible] utramq; manum porrigant.

2. Nihil [illegible] intercedit, quod moralem cauſalitatem excedat, aut violentiam involvat. Ipſe enim conſidera, dum adducuntur documenta ex Scriptura, quæ inter ſe & cum aliis textibus conferuntur, publicè & privatim inculcantur, quæ pugnare videntur, conciliantur, oborti ſcrupuli eximuntur, & demum omnia quadrare, atq; fidei analoga eſſe deprehenduntur, ea porrò ſubditi

ditis interpoſitâ fide conſtabilienda referuntur &c. an non hæc omnia fra-ternam potius,& ſponte ſuſceptam combinationem, quâ in religione Magiſtratui & ſubditis idem ſit animus & mutua concordia credendi, quàm violentiam turgidamve coactionem ſapere videantur? certè accuratiſſimus Dunte aliter judicare non potuit, alioqui quæſtionem: Wird man aber hierdurch nicht zum Glauben gezwungen? non in hunc modum decidiſſet: Nein; Sondern die Obrigkeit vergleicht ſich mit denn unterthanen Guttwillig auf eine Lehre/und iſt hie gantz kein zwang, in Caſibus Conſcientiæ p. 691.

Quoad quartam, reſpondemus I. nihil hic detrahi de honore Chriſti, licet etiam in verba Conceſſionum juretur. quia aliter docemus, in verba Chriſti eſſe jurandum, aliter in formulas confeſſionales: in illa, abſolutè nimirum; in has verò, tanquam verbis Chriſti conſentaneas, qua limitatione obſervatâ, utrique honor ſuus ſalvus manebit & impermixtus.

Neq; tamen 2. eliciendum hinc: Ergo modificata juramenta erunt adhibenda, in hunc forte ſenſum: Ego ſuper hac Confeſſione juro, quatenus verbis Chriſti eſt conſentanea. nulla enim hic militat ſequela. Etenim aliud eſt, abſolutè jurare, quod tantum in verba Chriſti eſt faciendum: aliud cum reſpectu ad verba Chriſti, quibus unaquæq; fidei confeſſio conformis eſſe debet ac conſona (quod licitè præſtabitur a morigeris ſubditis) aliud item cum reſtrictione, quatenus confeſſio æqua ſit & verbis Chriſti conſentiens &c. quod poſtremum meritò ubique improbatur atq; exploditur. Quoniam, ratione hac, ſuſpecta redderetur omnis Confeſſio, ac ſi iſthæc præter cõſentanea verbis Chriſti complecteretur etiam alia, quę eſſent ab iis dẽ diſſentanea: quin poſſet hoc modo in quamcunq; confeſſionem jurari, ne Alcoranô quidẽ exceptô, modò aliquid de verbis Chriſti contineret, licet reliqua omnia eſſent heterodoxa. Idcircò aliter res inſtituenda, nempe ſic: ante omnia oblata Confeſſio, aut Scriptum Normale, accuratè eſt examinandum, & ad lydium Scripturæ lapidem revocandum, cum qua ſi undiq; conſentit, & ego in mea conſcientia ità ſum convictus, omnia ibi, etiam rigidiſſimum examen, ſuſtinuiſſe & ſuperaſſe; nec quicquam adeſſe, quod in cœleſtem veritatem impingat ullô modô, tunc ſuper eo Scripto porrò, bonis & honeſtis rationibus, præſtare poſſum juramentum ſimplex, hoc eſt abſq; ulla reſtrictione, in hanc formam: Quia talia ſcripta ſancta & incorrupta cognoſco ac agnoſco, juro, me nunc & in poſterum ea æquè pro talibus habiturum, & in iis firmiter perſtiturũ eſſe, ità me Deus juvet! Si verò deprehendero ὕπουλον hîc latere, & impura puris eſſe permixta, præſtat penitus indè abſtineã, quàm ut juramentô fidẽ aſtringã, etiã ſub latiſſima reſtrictione, ne ſimul omnia, vera cum falſis, approbâſſe exiſtimer, atq; incõſideratô

ratô hoc factô famæ & Conſcientiæ meæ maculam, Proximo verò periculoſum ſcandalum accerſam. Nam addecet bonos, etiam ab ſe ſuſpicionem ut ſegregent. --- *paullum etenim diſtare videtur*

*Suſpectus, verusq; reus* ---

inquit Auſonius in Oratione Ephemeridis, V. 63. 64. Ergò ſedulò hic cavebo, ne vero crimine lædar, nec maculer dubio!

Quinta ratio facilè diluitur diſtinctione inter normam normantem & normatam. Sacræ literæ ſunt norma normans; Confeſſiones & alia ſcripta Symbolica, duntaxat norma normata, & non, niſi cum reſpectu ad conſonantiam cum ſuperiore illa norma, recipienda & approbanda. Ergò etiam ſic ſacris Literis manet ſua prærogativa, & reliquis ſcriptis, quocunq; ſpecioſô titulô veniant, ne æqualis quidem cum illis tribuitur autoritas, multò minus prævalens.

Sexta committit fallaciam Conſequentis. Non enim ſequitur: Tu ſuper quibusdam Articulis, ex Scriptura [illegible], juras. ergò fides tua jurata eſt cynoſura, ad quam conformanda ipſa Scriptura, & aliorum Scripturæ dictorum interpretationes. Scriptura enim ſemper manet Scriptura, h. e. fidei & morum cynoſura in perpetuum, dum autem ex illa colliguntur certi articuli, ſive fidei, ſive moribus informandis apti, de quorum veritate Tu in mente convictus, aliter judicare non potes, niſi, quòd ità Scripturæ ſint conformes, ut etiam juratus in eorum ſententiam abire auſis, tunc articuli iſti non fiunt ipſa Scriptura, ſed manent concluſiones, ex Scriptura, tanquam principio, deductæ: & merentur fidem & juramentum, non propter ſuam propriam autoritatem, ſed propter alterum, nempè propter Scripturæ conformitatem, in quam fides & juramentum ultimatè reſolvuntur, in tantum, ut ſublatâ Scriptura & ejus conformitate, ne articuli quidem tales conſcribi, multo minus jurato ab [illegible] verari potuiſſent. Deinde, quando ad iſtos juratos articulos aliorum dictorum interpretationes exiguntur & conferuntur, tunc iſti articuli, non tanquam cynoſura, conſtituuntur: ſed Scriptura, in qua ipſi articuli fundabantur, per Scripturam explicatur, cui iſtæ interpretationes conformes deprehenſæ, æquè dignæ judicantur, quæ, ſicuti cæteri Articuli, Magiſtratus autoritate accedente, ſub jurata fide poſſint ſuſcipi.

In Septima & ultima multa coacervantur, quæ diſtinctius oportet proponi. 1. Nulla hic intercedit captivitas: ſed mera & liberalis Confeſſio, quâ ei ſocietati te adjungis, quæ veritatem ex Scripturis cognovit, cognita in certa capita redegit, &, per ea, mentem tuam uſque adeo exſatiavit, ut pro tempore ſecus ſtatuere non poſſis, quin id, quod ſubire & recipere debeas, ità confirmatũ ſit, ut quod confirmatius eſſe poſitus nõ videas, neq; habeas ulterius, cur in rei teſtimoniũ juramentũ detrectes. 2. Non

2.Non præciditur veritatis ſtudium.licet enim in fundamenta iſtorum capi-tum ſolicitè inquirere,&,ſi illa juſta deprehenſa fuerint, in veritatis ſtudiô ſemper ulterius progredi,donec,ſi non culmen, ſaltem proximum ejus gradum attingas.ſemper quippe reſtat,quod addiſcas, & prius vita, quam doctrina te deſtituet. 3.Probatio ſpirituum non tollitur,ſed præſupponitur. debet enim juramentum præcedere,ne evadat cœcum & indiſcretũ, ſed ſit ex recto judicio profectum,Jer.IV.2.& quisquis diſcernendi vim â Deo acceperit,imperitum tamen paſtorem ſecutus fuerit, aut falſam opinionem pro vera amplexus(nedum juramentô tuitus) punietur â Deo quàm certisſimè,inquit Ignatius Ep.ad Epheſ.p.230. 4. Non tenetur eos, qui ab his doctrinæ capitib⁹ recedunt, tanquam alienos ſtatim repudiare, multò minus condemnare:Sed,ſi corrigibiles ſint,& errent ex imbecillitate judicii,tolerare & in viam revocare;ſin incorrigibiles& errent ex malitia,judicio *Dei* relinquere, & ſe ex conſortio eorum eximere.5.Nec juramentum tale huc ſpectat,ut verum,ſi poſtmodùm appareat,non liceat apprehendere,& priſtinum juramẽtum reſcindere.Jurandum enim eſt in juſtitia,Jer.4.v.2.h.e. interprete Suario,de re,quæ honeſtè & ſtudioſè poteſt impleri, T.2.de Virt.& ſtatu Relig. p.280.qualis non eſt falſitas deprehenſa& in lucem protracta, etiamſi prius juramentô ſit aſſerta. Sicut enim juramentum non eſt vinculum iniquitatis, ità nec falſitatis;hoc tamẽ cave intermittas,quin Deum tunc ardenter invoces,ne tibi imputet,quód, cum olim,vel ex Superiorum importunitate,vel ex *Eccleſiaſticorum* malignitate,vel ex proprii judicii imbecillitate,in aliud juramentum conſenſeris,nunc re penitius perſpectâ,per *Dei* gratiam,reſciſſum velis,ne tuam ſalutem ſufflamine ſtringas. Quo nomine etiam facilius excuſabitur B.noſter Lutherus,qui, licet primâ vice Religioni pontificiæ fidem dederit,alterâ tamen,quando falſam eam deprehendit,illiusq; defenſionem injuſtam,ab ea reſilivit,& juramentum rupit, præter ullum conſcientiæ cauterium,quicquid contrà deblateret Becanus,in Manuali l.V.c.14.§.4 immemor fortaſſis ſuorum ipſius verborum, T.2.Opuſ.in Tortur.Tort parad.XII.p.545.dum inquit:an ergò putas,nimini integrum eſſe,mutare religionem,ſi juraverit,ſe non mutaturum? At ſi falſa ſit religio,quam juravit ſe ſervaturum,quid tunc aget?Perſiſtet potius in falſa religione,quàm juramẽtum violet?cave dixeris.Juramentum,ajunt JCTI, non eſt vinculum iniquitatis: Addo ego,nec falſitatis. Igitur,non obſtante juramentô,quantumvis ſæpè repetitô, poteſt quis mutare religionem,ſi falſa ſit; poteſt reſcindere pactum, ſi iniquum ſit.NIHIL CERTIUS!

Proindè putarem ego, τὸ πρέπον Miniſterii eccleſiaſtici non admittere hoc, ut Magiſtratui litem intendat, de loco decertet, aut quovis modo ſe illi anteponat: ſed ultrò cedat, infulam & pedum ad pedes ejus abjiciat, partes primas ubiq; deferat, & omni honore, etiam ſacerdotali, ſuperiorem æſtimet. Sic enim inceſſurum eſſet modeſtiæ Apoſtolorum convenienter, imò exemplo Chriſti conformiter, qui non uſurpabat politicum dominium; ſed prædicabat Evangelium: non agebat ſecularem Principem; ſed ſpiritualem Sacerdotem: non terebat in Mundo tempus Majeſtatis; ſed premebat veſtigia humilitatis. Præſertim cum eò etiam pelliceant ſeriæ Patrum atteſtationes, non tantùm ſupereminentiam Poteſtatibus deferentes: ſed & dominium Sacerdotibus abrogantes. Sic enim Tertull. in Apol. c. 30. Sciunt Imperatores, quis illis dederit imperium; cum DEUM eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi: poſt quem primi ante omnes, & ſuper omnes Deus. Et Optatus l. 3. de ſchiſm. Donatiſtarum: Cum ſuper Imperatorem non ſit, niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatores, dum ſe Donatus ſuper Imperatorem extollit, jam quaſi hominum exceſſerat metas, ut ſe tanquam Deum, non hominem, æſtimaret; non verendô eum, qui poſt Deum ab hominibus timebatur. Similiter ipſe Chryſoſtomus hom. 2. ad pop. Antioch. Læſus eſt (Theodoſius videlicet) qui non habet parem ullum ſuper terram, ſummitas & caput omniũ ſuper terram hominum &c. Ità priſcis temporibus ſentiebant Chriſtiani de Magiſtratu, præſertim ſummo, ipſum im̃ediatè proximum Deo, & ſolo Deo minorem, cæteris verò omnibus ſuperiorem conſtituentes. De incompetentia verò dominatûs, ſequentia leguntur apud Bernhardum l. 2. de conſiderat. ad Eugen. c. 5. col. 1021. I tu & Tibi uſurpare aude, aut dominans apoſtolatum, aut apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis; ſi utrumq; ſimul habere voles, perdes utrumq; : forma Apoſtolica hæc eſt, dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio, quæ commendatur exemplô Legislatoris: Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat!

Nec cõtra hoc faciũt Veteres Eccleſiæ Doctores qui tot & tãta ἀξιώματα Sacerdotibus tribuerunt, ut Regibus etiá eos prætulerint. Non enim ideò factũ, ac ſi Sacerdotes Dominos; Reges autẽ eorũ ſervos ſive ſubditos conſtituere voluiſſent. ſic enim præcepto Petrino è diametro contradixiſſent: ſubjecti eſtote Regi, ὡς ὑπερέχοντι, 1. c. 2. ỳ. 13. & Chriſti factũ, quo tributũ perſolvit, Matt. 17. ỳ. 27. & judicio Pilati ſe ſtitit, in eo recognoſcens ἐξουσίαν κατ' αὐτοῦ, ſupernè collatam, Joh. 19. ỳ. 11. ſugillâſſent: quin imò toti Apoſtolorum choro, poteſtatem Magiſtratus legitimam nunquam declinanti, Act. V. 27. 41. dicam ſcripſiſſent:

Sed longè alio fecerunt fine atq; reſpectu, nempè 1. ut Miniſterium

tantò

tantò redderent commendabilius. Multi enim quôvis ſeculô reperiebantur, qui partim odiô, partim pravô judiciô acti, Miniſterium eccleſiaſticum carpebant, ſummiſsè imò ſcabiosè de eo loquebantur, & vix poſtremæ conditionis locô habendum pronunciabant, ſaltem, ut alios ab hoc munere ſuſcipiendo abſterrerent, ac functiones Eccleſiaſticas illis exoſas redderent: Huic malo obviare volentes Patres, Miniſterium contrà extulerunt, & tantis præconiis condecorârunt, ut etiam mundanis regnis illud præponerent, & per hoc dignum declararent, quod ab omnibus coleretur potius & ambiretur, quàm contemneretur aut rejiceretur.

2. Ut miniſterio autoritatem conciliarent apud Magiſtratum politicum. Solent interdum civiles perſonæ myſtagogos minus civiliter tractare, & poſthabitâ omni reverentiâ miniſterio debitâ, Ruſticellorum ſuorum locô habere (qui abuſus eſt politicæ poteſtatis) quam ut moderarentur Patres, & in ordinem redigerent, Miniſterium ſublimârunt, & mundanis etiam regnis prætulerunt, reſpicientes potiſſimùm ad ſubjectum, in quo occuparetur, quale ſunt myſteria divina; & ad objectum, circa quod verſaretur, ut eſt, animæ ſalus, quæ cum nullo mundano lucro comparanda, Matt. XVI. 26. quæ ſi ritè adminiſtrentur, in oculis Dei lucere, quovis Regno ſplendidius. Ob hanc cauſam etiam ejus Sacerdotes, â politico Magiſtratu, non ut vernas ſuos; ſed ut divinos myſtas, imò ut legatos & cooperarios Dei, rerumque æternarum, non mundanarum curatores, decenter omninò tractandos, & debitâ reverentiâ proſequendos eſſe. Pertinet huc exemplum Gregorii Magni, qui cum â Mauritio Imperatore infra dignitatem epiſcopalem tractatus fuiſſet, modeſtè cum in modum ipſi reſcripſit: Piiſſimus Dominus, ſacerdotibus non ex terrena poteſtate citius indignetur, ſed excellenti conſideratione propter eum, cujus ſervi ſunt, eis ità dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat, Tom. 2. l. 4. Epiſt. 31. (aliàs 75.) col. 790. & paulò pôſt ibidem ſubjicit: Eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur, cum, piæ memoriæ, Conſtantino Principi in ſcripto oblatæ accuſationes contra Epiſcopos fuiſſent, quòd libellos quidem accuſationis acceperit, & eosdem, qui accuſati fuerant, Epiſcopos convocans, in eorum conſpectu libellos, quos acceperat, incenderit dicens: Vos Dii eſtis, â vero Deo conſtituti. Ite & inter vos cauſas veſtras diſcutite, quia dignũ non eſt, ut nos judicemus Deos. Addit tamen hîc ſtatim, per quandam ἐπανόρθωσιν Gregorius: In qua tamen ſententia, pie Domine, ſibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præſtitit ex reverentia impenſa.

3. Ut utrumq; ordinẽ de ſuo officio rectiꝰ informarent, eſſe nimirũ Eccleſiaſtici, regere ſuã Eccleſiã, & divina jura temperare: viciſſim politici, ſceptra faſcesq; gubernare, ſed ita, ut unà etiã Miniſtrorũ rationẽ habeat, in ſpiritua-

 libus

libus pro patribus eos agnoſcat, ductumq; illorum juxta Scripturæ normã inſtituti, preſsô pede ſubeat, οὐχ' ὡς ἰσοτίμων, ἀλλ' ἀποφωνητοῦ τάξιν ἐχόντων, non tanquam omparium, ſed Cmonitoris vicem ſuſtinentium, verba ſunt Ignatii Ep. ad Philipp. p. 96 non tanquam Miniſtro ſubjectus, ſed Chriſto, â quo miſſum eum acceperit & audiverit, obſecundatus, memor divini ej⁹ effati: Qui vos audit, me audit: qui vos contemnit, me contemnit, Luc. X. 16 Nam quoad res Eccleſiaſticas, etiam bonus Imperator intra Eccleſiam eſt, non ſupra Eccleſiam, inquit Ambroſius in Orat. de tradendis Baſilicis. Conſideravit hoc ſapienter piiſſimus Rex *Daniæ Chriſtianus* III. igitur cum Dn. M. Andreæ Martini, Paſtori Roſtochienſi, flexô poplite peccata confiteretur, & ſuper his abſolutionem peteret, factum eſt, ut prædictus Dn. Martini, orationis ſuæ telam his verbis auſpicaretur: Sereniſſime Rex, Domine Gratioſiſſime; Rex ſtatim interpellabat, & in hunc modum regerebat: Non Rex, ſed miſer peccator; non Gratioſiſſimus *Dominus*, ſed *Chriſtianus*. Totam hiſtorialam memorandis verbis refert Dn. D. Simon Pauli, part. 3. Poſtillæ, p. 92. b. unde huc revocabimus: Da M. Andreas Martini dieſen Hochlöblichen König zum erſtenmal die Beicht hörete / nach dieſer Kirchen gewonheit / ſetzte Sich der König für Jhm / alß Einem / der in Gottes ſtatt ſaß / nider auf die Knie / und thete ſeine Beicht / Alß Jhn hierauff M. Andreas wolte abſolviren / oder Loß Sprechen von Sünden / und anfieng: Aller Durchleüchſtigſter König / Gnädigſter Herr &c. Fiel der König Jhm in die Red unnd ſprach: M. Andrea, ſoll Jch Euch lehren, wie Jhr die leüt ſollet in der Beicht von Sünden Loßſprechen? Hie ſitze Jch nicht alß ein König in Dennemarck / Sondern alß ein Armer Sünder / und heiſe hie nicht / Allergnädigſter Herr ſondern Chriſtianus. Jhr aber ſitzet da an Gottes ſtatt / und handelt mit mir nicht als ein Menſch ſondern als ein Diener Chriſti: Und die abſolution, welche Jhr Mir ſprechet / nehme Jch an / alß wenn Jch Sie auß Chriſti Mund hörete.

Sic nimirum pro re nata contemperandi ſunt mores, ut tamen neutrius partis, ſive Politicæ ſive *Eccleſiaſticæ*, reſpectus periclitetur, ſed bona quædam conſonantia conſervetur, ex qua omne, quicquid utile eſt, humano Generi conferatur, quemadmodum loquitur Juſtinian⁹ in præf. Nov. 6.

## II.

## An nulla ſuppetat poteſtas, quâ Miniſterium Eccleſiaſticum bona cum Conſcientia uti atq; frui poſſit?

Multi cum audiunt, Miniſterio Eccleſiaſtico ademptam eſſe προεδρίαν, ſtatim in eam opinionem delabuntur, ut putent, hac ratione omnem poteſta-

tem.

tem eſſe ſublatam, nec ullam amplius illi poſſe attribui. Et quomodò tribuetur? inquiunt, cum miniſterium & poteſtas ſe mutuo excludant: ubi enim miniſterium, ibi nulla poteſtas; & ubi poteſtas, ibi miniſterium nullum locũ invenit. Deinde, quod Chriſtus ipſe Miniſterio ademit, illud bona cum conſcientia eidem reſtitui nequit: niſi in ſupremũ legislatorem eſſe velimus injurii. At poteſtatem Miniſterio ademit, Luc. 22. ℣. 25. Qui poteſtatem habẽt, benefici dicuntur, Vos autem non ſic. Ergò &c.

Verum enimverò ut taceam, ſic argumentantes in ipſam Logicam impingere, quæ vetat, negatâ & ſublatâ unâ ſpecie, protinus negare & tollere totũ Genus. an enim ſequitur: Non habet certam poteſtatis ſpeciem, ergò planè nullam poteſtatem habet? Annon ipſe Chriſtꝰ ad Diſcipulos? ecce! do vobis poteſtatẽ, Luc. X. 19. annon Paulus ad poteſtatem, divinitùs datam, provocat? inquiens: ut non præſens duriꝰ agam ſecundum poteſtatem, quam dedit mihi Dominꝰ, 2. Cor. 13. ℣. 10 quomodo igitur omnis poteſtas Miniſterio detrahetur? Et dic quæſo, cũ Miniſterium non minꝰ ſit ſtatus Hierarchiæ, ac Reſp. & Oeconomia, & harum utraq; poteſtate ſit inſtructa, illa ἀρχιτεκτονικῇ, hæc πολιτικῇ, per quas poſſunt obtinere fines ſuos, ꝓpter quos ſunt inſtitutæ &c. cur ſolum Miniſterium poteſtate deſtituatur, absq; qua inſtitutum ſuum finem haud poſſit aſſequi? Nervũ igitur incidit, quicunq; debitam poteſtatẽ ei adimit, & utopicũ potiꝰ, quàm Chriſtianũ Miniſterium nobis obtrudit!

Proindè dicimus, Miniſterium Eccleſiaſticum habere poteſtatẽ, & non habere. Non habet poteſtatem αὐτοκρατορικὴν, quâ ex plenitudine poſſit agere, quicquid libuerit. Hæc enim ſoli Chriſto competit, cui data eſt omnis poteſtas in Cœlo & in Terra, Matt. 28. ℣. 18. Rebellat itaq; & jus Chriſti invadit, quisquis hujusmodi poteſtatem ſibi arripit, nimirum

*Impatiens conſortis hic eſt, huic debita ſoli*
*Gloria, mortali non rapienda manu!*

Viderit igitur Johannes XXII. quid aliquando Chriſto judici reſponſurꝰ ſit, dũ plenitudinẽ poteſtatis impudenter ſibi adſcribit, C. ſi fratrem, ne ſede vac. in Extrav. Joh. 22. Deinde, etiã õ habet poteſtatẽ πολιτικὴν, quæ gladii nomine aliàs venit, Rõ. 13. ℣. 4. Quia Reſp. & Miniſteriũ toto genere differũt. Reſp. n. gladiô armata eſt; Miniſteriũ Verbô inſtructũ. Reſp. in rebꝰ corporalibꝰ occupata eſt, & rebꝰ gaudet potiſſimũ externis, indirectè ſolùm & mediatè ad conſequendã ſalutem proficientibus; Miniſteriũ ſpiritualibus & internis, imediatè ad cõſequendã ſalutẽ ſpectantibꝰ. Reſp. prætoriã habet poteſtatẽ, liberè figendi leges & refigendi, & ſubditos ſuos ad obſervationẽ earũ corporali violentiâ aſtringendi; Miniſteriũ moralẽ duntaxat, conſiſtentẽ in inſtando tempeſtivè intẽpeſtivè, arguendo, objurgando, exhortando cũ omni lenitate & doctrina, & ad leges divinas, jã olim præſcriptas, tantùm alligatã.

Reſp.

Reſp. pro fine agnoſcit juſtitiam civilem & tranquillitatem Ordinis; Miniſterium verò juſtitiam ſpiritualem & ſalutem animæ ac corporis. Quæ igitur Deus diſtincta eſſe voluit, â nobis confundenda non ſunt, ne in ipſum Ordinis autorem inveniamur prævaricari. Viderit itaq; Nicolaus Papa, quo ſucceſſu & ipſe cauſam ſuam coram tribunali Chriſti acturus ſit, dum nõ veretur, D. Petro terreni ſimul & cœleſtis Imperii jura attribuere, & conſequenter in Eccleſiam Romanam eadem inde deflectere, Can. Omnes. Diſt. 22.

Interim tamen habet Miniſterium poteſtatem ἐκκλησιαστικὴν, & quidem divinitus datam, quâ mediante ædificetur Eccleſia, non ſubvertatur: & de hac loquitur Paulus 2. Cor. 10. ℣. 8. Si amplius etiam quippiam glorier de Potestate noſtra, quã dedit Dominus nobis ad ædificationem, non autẽ ad ſubverſionem veſtri, non pudefiam. Hujus poteſtatis tres ſunt gradus, ſive, ut ego nominare mallem, tres partes integrantes, quarum prima eſt poteſtas οἰκονομίας, quâ comprehenditur jus docendi in Eccleſia. Sunt quidem miniſtri myſteriorum Dei œconomi, 1. Cor. 4. ℣. 1. attamen jus adminiſtrandi hanc œconomiam nemo uſurpare debet, niſi cui poteſtas uſurpãdi illius juris ſit tributa: confertur autem ea per legitimam vocationem, & ſolennem inaugurationem, hâc ſaltem limitatione adhibita, ut ſi quis fideliũ grex, paſtore omni deſtitutus, conſentiat in perſonam alicujus, qui ſit ad docendum idoneus, & hunc ſibi vocet ac deligat in Miniſtrum, in eo neceſſitatis caſu, quô non poſſit haberi opera ſive Presbyterii ſive Epiſcopi, â quo inauguretur & ordinetur: tunc talis miniſter, voce gregis iſtius ſic declaratus ac electus, indubiè ſit verus Eccleſiæ paſtor, & omnia muneris ſui officia ritè obire poſſit. Et hîc ſufficit Vocatio, licet, ob intervenientem caſum neceſſitatis, deficiat inauguratio ſive ordinatio. Ut enim coronatio non facit Regem, ſed electio; coronatio verò eſt ſolennis duntaxat renunciatio & declaratio Regis: ſic vocatio & electio legitima, facit miniſtrum; Ordinatio verò & inveſtitura eſt vocationis illius tantummodò declaratio coram cætu Eccleſiæ. Ergò Ordinatio non adhibetur tanquam ſymbolum ſacramentale, ut volunt Pontificii, ſed ex Chriſtiana libertate, tanquam rit⁹, utilitatis & gravium doctrinarum plenus, ac ob id, citra neceſſitatis caſum, non negligendus.

Altera poteſtas eſt τάξεως, & eſt facultas, quâ Miniſterium ordinat ſalutares Conſtitutiones, ſecundum quas vel publicè & privatim unanimiter doceatur & credatur: vel rectus vivendi modus, cum externis ritibus, decenter inſtituatur. Priores vocari ſolent Conſtitutiones δογματικαὶ, poſteriores, διατακτικαὶ: & communiter comprehenduntur libellis catecheticis, normalib⁹ & ſymbolicis, ità ſic dictis, ut indè, quaſi ex teſſeris, cer-

tus

tus cœtus cognoſcatur,& ab aliis ſegregetur; invicem tamen ſic diſcriminatæ, ut dogmaticæ, non niſi intervenientibus Scripturæ fundamentis, aſtruantur & proponantur; διατακτικαὶ autem prodeant ex accurato & pietati ſubacto judicio, nullibi adverſante verbo revelato. Et de his poſterioribus cumprimis obſervanda venit Regula Theologorum: Ceremoniæ in Eccleſia ſint numero paucæ, obſervatu faciles,& non niſi ad Eccleſiæ ædificationem utiles!

Poſtrema poteſtas eſt κρίσεως, quæ eſt facultas rectè uſurpandi clavem ſolventem & ligantem. Quæ poteſtas licet non ſit perſonale privilegium, ſoli *Petro* tributum, prout volunt Pontificii: ſed toti Eccleſiæ ſit tradita, eiq; maneat, quoad jus & poſſeſſionem: tamen quia Miniſterio eſt commiſſa, quoad adminiſtrationem & executionem, rectè illius eſſe perhibebitur. Legitimus ejus uſus conſiſtit in hoc, ut pœnitentibus peccata remittãtur,& per Abſolutionem *Cœli* portæ reſerentur. hoc enim eſt ſolvere; Impœnitentibus verò peccata retineãtur, & Cœli fores occludantur. hoc enim eſt ligare: quemadmodum geminæ hujus ſignificationis interpretationem invenire eſt, Joh. 20. ℣. 23. De utráq; clavi verum eſt, quod docet Philippus Melanthon: Hæc officia valent in Eccleſia, propter verbum & mandatum Dei; requirunt autem obedientiam neceſſariam, T. 4. Oper. p. 508.

Et triplicem poteſtatem, citra ullius injuriam, ſibi aſſignare & uſurpare poteſt Miniſteriũ eccleſiaſticũ, quippe ad ſcopum ſuũ conſequendũ, & ſpiritualem finem inducendum, perneceſſariam. Quia tamen illa merè eccleſiaſtica eſt, non Politica: διακονικὴ, non αὐτοκρατορικὴ ſupernaturali fini deſerviens, ſeculari poteſtati non-prædominans inſignienda erit potius famulatus, quàm dominatus nomine, & ipſum Officium rectius miniſterium, quàm Imperium indigitabitur. Nam ab imperio hic ſtatus denominationem ſuam ſortiri nunquam poteſt, quia ei κατακυριεύειν rotundè indicitur, Matt. 20. ℣. 25. 1. Pet. V. 3. præſertim, cum hactenus omniũ miniſtrorum eadem ſit ratio, ne ſummô quidem in ordine exceptô, ſicut verba Chriſti ſatis evidenter evincunt: Quicunq; voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter miniſter; & qui voluerit primus eſſe, eſto veſter ſervus, Matt. 20. ℣. 26 ὁ ἡγούμενος ὡς ὁ διακονῶν, Luc. 22. ℣. 26. adeoq; nunquã & nusquam externè cogere valeat & violenter, ne quidem in ipſa excommunicatione. nam & hæc in quibus locis viget, ſolummodò pœnam inducit privativã, nec plenum ſortitur effectum, niſi ſponte ſuâ pereat excommunicatus, in cujus ſalutem potius ſuſcepta erat excommunicatio, quàm in perditionem, 1. Cor. V. 5. Et horſum iterum refero, quæ de re iſta pronunciat Dn. Philippus T. 1. Oper. p. 137. b. Fatemur, reos manifeſtorum

ſcelerum, legitimo judicio & ordine excommunicandos eſſe, nec eſt inane fulmen juſta Excomunicatio: Sed tamen poteſtas Eccleſiæ nō punit vi corporali, carcere aut inediâ, tantùm pronunciat ſententiam, Carcer & ſupplicia publica deſtinare, ad politicos Gubernatores pertinet!

## III.

## An aliquis, bonâ cum Conſcientiâ, poſſit obire Miniſterium, ſi non obtineat ibi clavis ligantis exercitium?

*De* Schwencofeldianis Formula Concordiæ commemorat, quod inter alios etiam ſequentem errorem foverint, non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, in qua non vigeat publica Excommunicatio, & ſolennis aliquis excommunicationis modus, ſeu, ut vulgò dicitur, proceſſus ordinarius, cap. 12. de *S*chwencof. errore 7. In eodem luto jam olim hæſerant *D*onatiſtæ, qui cum cernerent in *E*ccleſiis vitia, quæ verbis quidem reprehenderent Epiſcopi, ſed excommunicatione non plecterent (quia non putabant, ſe hâc viâ quicquam profecturos) in *E*piſcopos atrociter invehebantur, tanquā *D*iſciplinæ proditores; & â Chriſti grege, impiô ſchiſmate, ſe dividebant, teſte *C*alvino l. 4. Inſt. c. XII. §. XII. Conſenſerunt igitur utrinq;, non poſſe ſubſiſtere miniſterium, in quo non ſit clavis ligantis exercitium, & per conſequens, neminem ibidem ſalvâ cum conſcientiâ poſſe obire munus Eccleſiaſticū. Nec ἀλόγως videntur ſic ſenſiſſe. Dederat enim Chriſtus Eccleſiæ nō ſolùm clavē ſolventē, ſed & ligantem, Joh. 20. ℣. 23. Ergò vel utramq; omittat, vel per Miniſteriū utramq; exerceat, ne alterutra ſaltē fruſtrà collata appareat. Deinde, dictū fuit in præcedente caſu, poteſtatē οἰκονομίας, τάξεως ϗ κρίσεως habere ſe invicem, ut partes integrantes unius integræ poteſtatis *E*ccleſiaſticæ. Quis autē neſcit ex Logica: ſuppreſsâ unâ parte integrali, mancū reddi ipſum totū ſive integrū? Accedit tertiò autoritas Ambroſii, dicentis: Eccleſia in utroq; ſervat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet, l. 1. de *P*œnit. c. 2.

Ut igitur hunc Caſum ritè decidamus, dicimus I. nihil majus nobis eſſe in votis, quàm ut priſtina diſciplina revocetur, & ſeria atq; ſevera morum correctio inſtituatur, atq; hac ratione, Moſi, Lev. 5. ℣. 1. 2. Nū. 5. ℣. 2. *C*hriſto, Joh 20. ℣. 23. Apoſtolis, 1. Cor. 5. ℣. 11. 13, 2. Theſſ. 3. ℣. 14. & ſanctis *P*atribus, inter quos Ambroſius emicat, tanquam Luna inter ſtellas minores, apud Theodoret. l. 5. c. 17. obtemperetur, & multis incommodis via præcludatur.

2. Si

2. Si forſan apud quosdam receſſum ſit ab antiqua Diſciplina (ſunt enim cauſæ, propter quas accifa primæva ſeveritas, & præſertim excommunicationis rigor alicubi ſit mitigatus, quarum nonnullas adducit Cl. Dn. Meiſnerus in conſid. Theol. Photin. p. 895) ſummoperè optare, ut integrũ miniſterium ſuam operam in unum conferat, & conjunctis viribus reſtitutionem & plenum uſum urgeat. Apud Magiſtratum quidẽ, tanquã divinæ legis fidelem & exactum cuſtodem, illius vindicationem & conſervationem ſolicitè allegando; apud Populum ſive ſubditos, ejusdem neceſſitatem & utilitatem ſolerter demonſtrando. Fuerint ſanè cauſæ, quæ permoverint Aretium, ut in eam opinionem deſcenderit, clavis ligantis uſum, præſertim quod ad excommunicationem attinet, hodiè revocari non poſſe, part. 2. Probl. de Excomm. p. 52. ſunt tamen longè graviores, quæ illius reſtaurationem ſuadeant, imò depoſcant, inter quas præponderat exquiſita neceſſitas ac utilitas: de utraq; paulò ante ipſe Aretius, p. 44. Excluſio neceſſaria & utilis eſt, vel eo nomine, quòd pars ſit miniſterii Eccleſiaſtici. Nam cum dicim⁹, Miniſterium eſt ordinaria functio Eccleſiæ, poſita in docendo ſanam doctrinam, cum adminiſtratione ſacramentorũ & diſciplinæ morum, ad certam & evidentẽ hominum utilitatem. Definitio iſthæc rectè colligi videtur ex partibus officii illius, quas non ſolùm noviſſe, ſed & adminiſtrare utiliter oportet. Quemadmodum igitur Doctrina ſana utiliter eſt proponenda: itẽ ſacramenta cum fructu ſunt adminiſtranda: ita quoq; diſciplina morũ negligi minimè debet, quę ſola quæritur in Excommunicatione pia & Chriſtiana. Hactenus Aretius. Et annon magna utilitas, ſi ꝓvideatur, ne Eccleſia & ſalutaris Chriſti doctrina, ob laxas habenas, male audiat? at hoc præſtatur per diſciplinã Eccleſiaſticã! annõ magna utilitas, ſi reliqui, quia virtute nolint, ſaltem metu, ex aliena animadverſione contracto, à peccatis abſterreantur, & in officio contineantur? at hoc præſtatur per diſciplinã Eccleſiaſticã! annon magna utilitas, ſi excluſi ſive excommunicati, ob pudenda ſua delicta, pudefiant, & quanto in periculo verſentur, tempeſtivè conſiderantes, de reditu in gremium Eccleſiæ & gratiã DEI, ſeriò cogitent? at hoc quoq; præſtatur per diſciplinã Eccleſiaſticã. Ergò de Mundo Solẽ tollere videntur, & iliada bonorũ quodamodò avehere, qui de Miniſterio cenſuram tam utilem, ne dicã, ſubducere aut ſumovere, ſaltẽ ſuſpendere præſumſerint.

3. Quòd ſi verò nihil proficiant preces, nihil interceſſiones, nihil ſupplicationes, licet robore fuerint põderoſiſſimæ, & numerô iteratiſſimæ: ſed, per reſtitutionem Excommunicationis, Magiſtratus vereatur, ne Miniſterium ſumat imperium ſuper ipſum, & ἀπεριστωπολήπτως ſupremam etiam poteſtatem jaculis ſuis feriat: item Populus, ne tyrannis & conſcientiarum carnificina reducatur, & paulatim profligatus papiſmus

# SECTIO SECUNDA DE CASIBUS MINISTERIUM ECCLESIASTICUM CONCERNENTIBUS.

## I.

## Utrùm Eccleſiaſtici, bonâ cum Conſciêntiâ, poſſint ſibi arrogare προεδρίαν ante Magiſtratum Politicum?

Quinam apud Athenienſes dicti ſint πρόεδροι, nempe DecemViri, qui per ſeptenos dies præſidebant, populo jura conferebant, ſuper alios eminebant, & prima ſubſellia in theatris occupabant, ex Budæo notum eſt: Horum veſtigia nonnulli relegentes Clerici, in eum faſtum ex tolluntur, ut ubique primas ſedes affectent, ſe omnibus anteferant, & ſua ſubſellia ſuper omnem poteſtatem, ne Imperatoriâ quidem exceptâ, collocent. In quam rem Barth. Chaſſanæus non tantùm de Papa ſcribit, quòd, ſicut aurum excellit plumbum, ſic autoritas & dignitas Papæ excedat Imperialem: Et ſicut Sol dicitur pater omnium planetarum & dominus, ita Papa dicatur pater omnium Dignitatum: cum papatus ſeu papalis dignitas aſſimiletur Soli, & regalis ſeu Imperialis Lunæ. Et ſicut Luna recipit lumen â Sole, ita Imperialis dignitas recipiat á Papa &c. in Catalogo Gloriæ Mundi part. 4. conſid. 7. p. 289. Sed & paulò antè p. 282. de Sacerdotibus in communi: O Sacerdotes! prærogativam ordinis veſtri prætulit DEUS omnibus Regibus & Imperatoribus Terræ: prætulit ordinem veſtrum omnibus ordinibus Mundi: imò, ut altiùs loquar, prætulit vos DEUS omnibus ordinibus Angelorum, omnibus Angelicæ Hierarchiæ! Videtur autem hæc opinio primitus inoleviſſe ex abuſu nonnullorum elogiorum, quæ Sancti Patres in Sacerdotium congeſſerunt, & illud usquè adeò extulerunt, ut non tantùm Imperio æquaverint: ſed & multis paraſangis ei prætulerint. Audiatur præ cæteris D. Chryſoſtomus, qui Orat. 2. in Oziam, ſublimitatem Sacerdotii ſupra regium principatum multis modis propugnat, & oſtêdit primum ex eo, quod Regi corporum, Sacerdoti autem animorum cura ſit concredita: atqui animus corpore multis modis eſt præſtantior! Deinde, quòd Rex habeat poteſtatem liberandi reliquatores pecuniarum: Sacerdos abſolvendi debitores peccatorum. Tertiò, quòd Rex cogat vi externa ſuos ſubditos: at Sacerdos verbis hominibus perſuadere conetur,

tur. Quartò, quod Rex armis utatur externis, quæque incurrant in ſenſus, cum Sacerdotis arma ſint ſpiritualia, quæ ſub viſum non cadant, tactumve, proindeq; multò ſint illis efficaciora & præſtantiora. Denique, ꝙ Rex adverſus barbaros, Sacerdos adverſus Dæmones bellum gerat. Cui pariſſimè loquitur Iſidorus Peluſiota, ad Palladium Diaconum ita perſcribens: Epiſcopatus talis eſt Principatus, qui regnô quoque ipsô non ſolùm eſt ſublimior, ſed & laborioſior, l. 4. Epiſt. 219. imò qui ὄντων ἁπάντων τὸ τιμιώτατον, omnium rerum eſt præſtantiſſimum quid, teſte eodem, l. 2. Ep. 52.

*E*go quidem dignitati ſacerdotali nihil detractum cupio, ne injurius reperiar in D. Paulum, dicentem: Qui bene præſunt Presbyteri, maximè qui laborãt in vbo, digni ſunt duplici honore, 1. Tim. V. 17. duplici v. ?uno, πατριαρχικῆς αἰδοῦς, altero ἀλλ' ἐθελείας τροφῆς, ut nempe & obſerventur præ cæteris & colantur, atque ſuppeditentur eis liberaliter, quæ ad victum ſunt neceſſaria. Nec impingam in præceptum Siracidis: Toto animo Dominum reverere, ac ſuſpice Sacerdotes ejus, c. 7. ℣. 31: Veruntamen cum ſciam, omnem animã ſupereminentibus poteſtatib⁹ debere eſſe ſubjectam, & illis debitum honorem tribuere, Rom. XIII. 1. & 7. ubi nota, quid ad hoc caput commentetur Chryſoſtom. oſtendit, inquit, Apoſtolus, quòd iſta imperentur omnibus, & ſacerdotibus & monachis, non ſolùm ſecularib⁹; etiamſi Apoſtolus ſis, ſi Evangeliſta, ſi Propheta, ſive quisquis tandem fueris. Neq; enim pietatẽ ſubvertit iſta ſubjectio. Similiter Bernhard⁹ hũc locũ explicãs ſic infit: Omnis anima poteſtatib⁹ ſublimiorib⁹ ſubdita ſit. Si Omnis, ergò & veſtra. Quis vos excipit ab univerſitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere, Ep. 42. Item cum ſciam, quid Rabbini dicant in antiquiſſimo libro Bemidbar Rabba, ſect. 6. p. 145. הַמֶּלֶךְ קוֹדֵם לְכֹהֵן גָּדוֹל, id eſt, Rex ſuperior eſt ſummo Sacerdote, eò, quod dictum eſt 1. Reg. I. 33. de ſummo ſacerdote ac propheta Nathan pariter, quia ipſis David, Rex in mandatis dederit, quid in effectum dare debuerint. Quam ſententiam ſuo etiam aſſenſu complet prædictus Chaſſanæus, c. 270. inquiens: Imò videtur etiam, quod ſummus *P*ontifex & ſacerdotes ſecundi ordinis, & alii inferiores ſint ſubjecti Regi & Principi: cum ut habetur, 2. Reg. 23. ℣. 4. præcepit Rex Helchiæ. Pontifici, & Sacerdotibus ſecundi ordinis, & janitorib⁹, ut projicerent de Templo *D*omini omnia vaſa, quæ facta fuerant Baal. huc etiã quadrat, ꝙ habetur, 2. Reg. 12. ℣. 8 ꝓhibitiq; ſunt Sacerdotes: & ꝙ ℣. 7. præmittitur, ſub verbis imperativis, tã ad ſummũ, quàm cæteros *S*acerdotes: Nolite ergò ampli⁹ &c. Si igitur fuerunt ſubjecti Regi ac Principi, quomodo ejus προεδρίαν poterunt ſibi vendicare? an fulmenta lectum ſcandere geſtient? iniquum!

Proindè putarem ego, τὸ πρέποντι Miniſterii eccleſiaſtici non admittere hoc, ut Magiſtratui litem intendat, de loco decertet, aut quovis modo ſe illi anteponat: ſed ultrò cedat, infulam & pedum ad pedes ejus abjiciat, partes primas ubiq; deferat, & omni honore, etiam ſacerdotali, ſuperiorem æſtimet. Sic enim inceſſurum eſſet modeſtiæ Apoſtolorum convenienter, imò exemplo Chriſti conformiter, qui non uſurpabat politicum dominium; ſed prædicabat Evangelium: non agebat ſecularem Principem; ſed ſpiritualem Sacerdotem: non terebat in Mundo tempus Majeſtatis; ſed premebat veſtigia humilitatis. Præſertim cum eò etiam pelliceant ſeriæ Patrum atteſtationes, non tantùm ſupereminentiam Poteſtatibus deferentes: ſed & dominium Sacerdotibus abrogantes. Sic enim Tertull. in Apol. c. 30. Sciunt Imperatores, quis illis dederit imperium; cum DEUM eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi: poſt quem primi ante omnes, & ſuper omnes Deus. Et Optatus l. 3. de ſchiſm. Donatiſtarum: Cum ſuper Imperatorem non ſit, niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatores, dum ſe Donatus ſuper Imperatorem extollit, jam quaſi hominum exceſſerat metas, ut ſe tanquam Deum, non hominem, æſtimaret; non verendô eum, qui poſt Deum ab hominibus timebatur. Similiter ipſe Chryſoſtomus hom. 2. ad pop. Antioch. Læſus eſt (Theodoſius videlicet) qui non habet parem ullum ſuper terram, ſumitas & caput omniũ ſuper terram hominum &c. Ità priſcis temporibus ſentiebant Chriſtiani de Magiſtratu, præſertim ſummo, ipſum imediatè proximum Deo, & ſolo Deo minorem, cæteris verò omnibus ſuperiorem conſtituentes. De incompetentia verò dominatûs, ſequentia leguntur apud Bernhardum l. 2. de conſiderat. ad Eugen. c. 5. col. 1021. I tu & Tibi uſurpare aude, aut dominans apoſtolatum, aut apoſtolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis; ſi utrumq; ſimul habere voles, perdes utrumq;: forma Apoſtolica hæc eſt, dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio, quæ commendatur exemplô Legislatoris: Ego in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat!

Nec cõtra hoc faciũt Veteres Eccleſiæ Doctores qui tot & tãta ἀξιώματα Sacerdotibus tribuerunt, ut Regibus etiã eos prætulerint. Non enim ideò factũ, ac ſi Sacerdotes Dominos; Reges autẽ eorũ ſervos ſive ſubditos conſtituere voluiſſent. ſic enim præcepto Petrino è diametro contradixiſſent: ſubjecti eſtote Regi, ὡς ὑπερέχοντι, 1. c. 2. ℣. 13. & Chriſti factũ, quo tributũ perſolvit, Matt. 17. ℣. 27. & judicio Pilati ſe ſtitit, in eo recognoſcens ἐξουσίαν κατ᾽ αὐτοῦ, ſupernè collatam, Joh. 19. ℣. 11. ſugillâſſent: quin imò toti Apoſtolorum choro, poteſtatem Magiſtratus legitimam nunquam declinanti, Act. V. 27. 41. dicam ſcripſiſſent:

Sed longè alio fecerunt fine atq; reſpectu, nempè 1. ut Miniſterium

tantò

tantò redderent commendabilius. Multi enim quôvis ſeculô reperiebantur, qui partim odiô, partim pravô judiciô acti, Miniſterium eccleſiaſticum carpebant, ſummiſsè imò ſcabiosè de eo loquebantur, & vix poſtremæ conditionis locô habendum pronunciabant, ſaltem, ut alios ab hoc munere ſuſcipiendo abſterrerent, ac functiones Eccleſiaſticas illis exoſas redderent: Huic malo obviare volentes Patres, Miniſterium contrà extulerunt, & tantis præconiis condecorârunt, ut etiam mundanis regnis illud præponerent,& per hoc dignum declararent, quod ab omnibus coleretur potius & ambiretur, quàm contemneretur aut rejiceretur.

2. Ut miniſterio autoritatem conciliarent apud Magiſtratum politicum. Solent interdum civiles perſonæ myſtagogos minus civiliter tractare, & poſthabitâ omni reverentiâ miniſterio debitâ, Ruſticellorum ſuorum locô habere (qui abuſus eſt politicæ poteſtatis) quam ut moderarentur Patres, & in ordinem redigerent, Miniſterium ſublimârunt, & mundanis etiam regnis prætulerunt, reſpicientes potiſſimùm ad ſubjectum, in quo occuparetur, quale ſunt myſteria divina; & ad objectum, circa quod verſaretur, ut eſt, animæ ſalus, quæ cum nullo mundano lucro comparanda, Matt. XVI. 26. quæ ſi ritè adminiſtrentur, in oculis Dei lucere, quovis Regno ſplendidius. Ob hanc cauſam etiam ejus Sacerdotes, â politico Magiſtratu, non ut vernas ſuos; ſed ut divinos myſtas, imò ut legatos & cooperarios Dei, rerumque æternarum, non mundanarum curatores, decenter omninò tractandos,& debitâ reverentiâ proſequendos eſſe. Pertinet huc exemplum Gregorii Magni, qui cum â Mauritio Imperatore infra dignitatem epiſcopalem tractatus fuiſſet, modeſtè cum in modum ipſi reſcripſit: Piiſſimus Dominus, ſacerdotibus non ex terrena poteſtate citius indignetur, ſed excellenti conſideratione propter eum, cujus ſervi ſunt, eis ità dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat, Tom. 2. l. 4. Epiſt. 31. (aliàs 75.) col. 790. & paulò pòſt ibidem ſubjicit: Eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur, cum, piæ memoriæ, Conſtantino Principi in ſcripto oblatæ accuſationes contra Epiſcopos fuiſſent, quòd libellos quidem accuſationis acceperit,& eosdem, qui accuſati fuerant, Epiſcopos convocans, in eorum conſpectu libellos, quos acceperat, incenderit dicens: Vos Dii eſtis, â vero Deo conſtituti. Ite & inter vos cauſas veſtras diſcutite, quia dignũ non eſt, ut nos judicemus Deos. Addit tamen hîc ſtatim, per quandam ἐπανόρθωσιν Gregorius: In qua tamen ſententia, pie Domine, ſibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præſtitit ex reverentia impenſa.

3. Ut utrumq; ordinẽ de ſuo officio rectiꝰ informarent, eſſe nimirũ Eccleſiaſtici, regere ſuá Eccleſiá, & divina jura temperare: viciſſim politici, ſceptra faſceſq; gubernare, ſed ita, ut unà etiã Miniſtrorũ rationẽ habeat, in ſpiritualibus

libus pro patribus eos agnoſcat, ductumq; illorum juxta Scripturæ normā inſtitutū, preſsô pede ſubeat. οὐχ' ὡς ἰσοτίμων, ἀλλ' ὑποφωνητοῦ τάξιν ἐχόντων, non tanquam ompariium, ſed Cmonitoris vicem ſuſtinentium, verba ſunt Ignatii Ep. ad Philipp. p. 96. non tanquam Miniſtro ſubjectus, ſed Chriſto, â quo miſſum cum acceperit & audiverit, obſecundatus, memor divini ej⁹ effati: Qui vos audit, me audit: qui vos contemnit, me contemnit, Luc. X. 16 Nam quoad res Eccleſiaſticas, etiam bonus Imperator intra Eccleſiam eſt, non ſupra Eccleſiam, inquit Ambroſius in Orat. de tradendis Baſilicis. Conſideravit hoc ſapienter piiſſimus Rex *Daniæ* Chriſtianus III. igitur cum Dn. M. Andreæ Martini, Paſtori Roſtochienſi, flexô poplite peccata confiteretur, & ſuper his abſolutionem peteret, factum eſt, ut prædictus Dn. Martini, orationis ſuæ telam his verbis auſpicaretur: Sereniſſime Rex, Domine Gratioſiſſime; Rex ſtatim interpellabat, & in hunc modum regerebat: Non Rex, ſed miſer peccator; non Gratioſiſſimus *Dominus*, ſed Chriſtianus. Totam hiſtorialam memorandis verbis refert Dn. D. Simon Pauli, part. 3. Poſtillæ, p. 92. b. unde huc revocabimus: Da M. Andreas Martini dieſen Hochlöblichen König zum erſtenmal die Beicht hörete / nach dieſer Kirchen gewonheit / ſetzte Sich der König für Jhm / alß Einem / der an Gottes ſtatt ſaß / nider auf die Knie / und thete ſeine Beicht / Alß Jhn hierauff M. Andreas wolte abſolviren / oder loß Sprechen von Sünden / und anfieng: Aller Durchleüchſtigſter König / Gnädigſter Herr &c. Fiel der König Jhm in die Red / und ſprach: M. Andrea ſoll Jch Euch lehren / wie Jhr die leüt ſollet in der Beicht von Sünden loßſprechen? Hie ſitze Jch / nicht alß ein König in Dennenmarck / Sondern alß ein Armer Sünder / und heiſe hie nicht / Allergnädigſter Herr / ſondern Chriſtianus. Jhr aber ſitzet da an Gottes ſtatt / und handelt mit mir nicht als ein Menſch ſondern als ein Diener Chriſti: Und die abſolution, welche Jhr Mir ſprechet / nehme Jch an / alß wenn Jch Sie auß Chriſti Mund hörete.

Sic nimirum pro re nata contemperandi ſunt mores, ut tamen neutrius partis, ſive Politicæ ſive *Eccleſiaſticæ*, reſpectus periclitetur, ſed bona quædam conſonantia conſervetur, ex qua omne, quicquid utile eſt, humano Generi conferatur, quemadmodum loquitur Juſtinian⁹ in præf. Nov. 6

II.

## An nulla ſuppetat poteſtas, quâ Miniſterium Eccleſiaſticum bona cum Conſcientia uti atq; frui poſſit?

Multi cum audiunt, Miniſterio Eccleſiaſtico ademptam eſſe προεδρίαν, ſtatim in eam opinionem delabuntur, ut putent, hac ratione omnem poteſta-

tem eſſe ſublatam, nec ullam amplius illi poſſe attribui. Et quomodò tribuetur? inquiunt, cum miniſterium & poteſtas ſe mutuo excludant: ubi enim miniſterium, ibi nulla poteſtas; & ubi poteſtas, ibi miniſterium nullum locũ invenit. Deinde, quod Chriſtus ipſe Miniſterio ademit, illud bona cum conſcientia eidem reſtitui nequit: niſi in ſupremũ legislatorem eſſe velimus injurii. At poteſtatem Miniſterio ademit, Luc. 22. ℣. 25. Qui poteſtatem habẽt, benefici dicuntur, Vos autem non ſic. Ergò &c.

Verum enimverò ut taceam, ſic argumentantes in ipſam Logicam impingere, quæ vetat, negatâ & ſublatâ unâ ſpecie, protinus negare & tollere totũ Genus. an enim ſequitur: Non habet certam poteſtatis ſpeciem, ergò planè nullam poteſtatem habet? Annon ipſe Chriſtꝰ ad Diſcipulos? ecce! do vobis poteſtatẽ, Luc. X. 19. annon *Paulus* ad poteſtatem, divinitùs datam, provocat? inquiens: ut non præſens durꝰ agam ſecundum poteſtatem, quam dedit mihi Dominꝰ, 2. Cor. 13. ℣. 10 quomodo igitur omnis poteſtas Miniſterio detrahetur? Et dic quæſo, cũ Miniſterium non minꝰ ſit ſtatus Hierarchiæ, ac Reſp. & Oeconomia, & harum utraq; poteſtate ſit inſtructa, illa ἀρχιτεκτονικῇ, hæc ποιητικῇ, per quas poſſunt obtinere fines ſuos, ꝓpter quos ſunt inſtitutæ &c. cur ſolum Miniſterium poteſtate deſtituatur, absq; qua inſtitutum ſuum finem haud poſſit aſſequi? Nervũ igitur incidit, quicunq; debitam poteſtatẽ ei adimit, & utopicũ potiꝰ, quam Chriſtianũ Miniſterium nobis obtrudit!

Proindè dicimus, Miniſterium Eccleſiaſticum habere poteſtatẽ, & non habere. Non habet poteſtatem αὐτοκρατορικὴν, quâ ex plenitudine poſſit agere, quicquid libuerit. Hæc enim ſoli Chriſto competit, cui data eſt omnis poteſtas in Cœlo & in Terra, Matt. 28. ℣. 18. Rebellat itaq; & jus Chriſti invadit, quisquis hujusmodi poteſtatem ſibi arripit, nimirum

*Impatiens conſortis hic eſt, huic debita ſoli*
*Gloria, mortali non rapienda manu!*

Viderit igitur Johannes XXII. quid aliquando Chriſto judici reſponſurꝰ ſit, dũ plenitudinẽ poteſtatis impudenter ſibi adſcribit, *C.* ſi fratrem, ne ſede vac. in Extrav. Joh. 22. Deinde, etiã õ habet poteſtatẽ πολιτικὴν, quæ gladii nomine aliàs venit, Rõ. 13. ℣. 4. Quia Reſp. & Miniſteriũ toto genere differũt. Reſp. n. gladiô armata eſt; Miniſteriũ Verbô inſtructũ. Reſp. in rebꝰ corporalibꝰ occupata eſt, & rebꝰ gaudet potiſſimũ externis, indirectè ſolùm & mediatè ad conſequendã ſalutem proficientibus; Miniſteriũ ſpiritualibus & internis, iñediatè ad cõſequendã ſalutẽ ſpectantibꝰ. Reſp. prætoriã habet poteſtatẽ, liberè figendi leges & refigendi, & ſubditos ſuos ad obſervationẽ earũ corporali violentiâ aſtringendi; Miniſteriũ moralẽ duntaxat, conſiſtentẽ in inſtando tempeſtivè intẽpeſtivè, arguendo, objurgando, exhortando cũ omni lenitate & doctrina, & ad leges divinas, jã olim præſcriptas, tantùm alligatã.

Reſp.

Reſp. pro fine agnoſcit juſtitiam civilem & tranquillitatem Ordinis; Miniſterium verò juſtitiam ſpiritualem & ſalutem animæ ac corporis. Quæ igitur Deus diſtincta eſſe voluit, â nobis confundenda non ſunt, ne in ipſum Ordinis autorem inveniamur prævaricari. Viderit itaq; Nicolaus Papa, quo ſucceſſu & ipſe cauſam ſuam coram tribunali Chriſti acturus ſit, dum nô veretur, D. Petro terreni ſimul & cœleſtis Imperii jura attribuere, & conſequenter in Eccleſiam Romanam eadem inde deflectere, Can. Omnes Diſt. 22.

Interim tamen habet Miniſterium poteſtatem ἐκκλησιαστικὴν, & quidem divinitus datam, quâ mediante ædificetur Eccleſia, non ſubvertatur: & de hac loquitur Paulus 2. Cor. 10. ℣. 8. Si amplius etiam quippiam glorier de Potestate noſtra, quā dedit Dominus nobis ad ædificationem, non autē ad ſubverſionem veſtri, non pudeſiam. Hujus poteſtatis tres ſunt gradus, ſive, ut ego nominare mallem, tres partes integrantes, quarum prima eſt poteſtas οἰκονομίας, quâ comprehenditur jus docendi in Eccleſia. Sunt quidem miniſtri myſteriorum Dei œconomi, 1. Cor. 4. ℣. 1. attamen jus adminiſtrandi hanc œconomiam nemo uſurpare debet, niſi cui poteſtas uſurpādi illius juris ſit tributa: confertur autem ea per legitimam vocationem, & ſolennem inaugurationem, hâc ſaltem limitatione adhibita, ut ſi quis fideliū grex, paſtore omni deſtitutus, conſentiat in perſonam alicujus, qui ſit ad docendum idoneus, & hunc ſibi vocet ac deligat in Miniſtrum, in eo neceſſitatis caſu, quô non poſſit haberi opera ſive Presbyterii ſive Epiſcopi, â quo inauguretur & ordinetur: tunc talis miniſter, voce gregis iſtius ſic declaratus ac electus, indubiè ſit verus Eccleſiæ paſtor, & omnia muneris ſui officia ritè obire poſſit. Et hîc ſufficit Vocatio, licet, ob intervenientem caſum neceſſitatis, deficiat inauguratio ſive ordinatio. Ut enim coronatio non facit Regem, ſed electio; coronatio verò eſt ſolennis duntaxat renunciatio & declaratio Regis: ſic vocatio & electio legitima, facit miniſtrum; Ordinatio verò & inveſtitura eſt vocationis illius tantummodò declaratio coram cætu Eccleſiæ. Ergò Ordinatio non adhibetur tanquam ſymbolum ſacramentale, ut volunt Pontificii, ſed ex Chriſtiana libertate, tanquam rit^9, utilitatis & gravium doctrinarum plenus, ac ob id, citra neceſſitatis caſum, non negligendus.

Altera poteſtas eſt τάξεως, & eſt facultas, quâ Miniſterium ordinat ſalutares Conſtitutiones, ſecundum quas vel publicè & privatim unanimiter doceatur & credatur: vel rectus vivendi modus, cum externis ritibus, decenter inſtituatur. Priores vocari ſolent Conſtitutiones δογματικαὶ, poſteriores, διαταχτικαὶ: & communiter comprehenduntur libellis catecheticis, normalib^9 & ſymbolicis, ità ſic dictis, ut indè, quaſi ex teſſeris, cer-

tus

tus cœtus cognoſcatur, & ab aliis ſegregetur; invicem tamen ſic diſcriminatæ, ut dogmaticæ, non niſi intervenientibus Scripturæ fundamentis, aſtruantur & proponantur; διατακτικαὶ autem prodeant ex accurato & pietati ſubacto judicio, nullibi adverſante verbo revelato. Et de his poſterioribus cumprimis obſervanda venit Regula Theologorum: Ceremoniæ in Eccleſia ſint numero paucæ, obſervatu faciles, & non niſi ad Eccleſiæ ædificationem utiles!

Poſtrema poteſtas eſt χρήσεως, quæ eſt facultas rectè uſurpandi clavem ſolventem & ligantem. Quæ poteſtas licet non ſit perſonale privilegium, ſoli *Petro* tributum, prout volunt Pontificii: ſed toti Eccleſiæ ſit tradita, eiq; maneat, quoad jus & poſſeſſionem: tamen quia Miniſterio eſt commiſſa, quoad adminiſtrationem & executionem, rectè illius eſſe perhibebitur. Legitim⁹ ejus uſus conſiſtit in hoc, ut pœnitentibus peccata remittãtur, & per Abſolutionem Cœli portæ reſerentur. hoc enim eſt ſolvere; Impœnitentibus verò peccata retineãtur, & Cœli fores occludantur. hoc enim eſt ligare: quemadmodum geminæ hujus ſignificationis interpretationem invenire eſt, Joh. 20. ✝. 23. De utráq; clavi verum eſt, quod docet Philippus Melanthon: Hæc officia valent in Eccleſia, propter verbum & mandatum Dei; requirunt autem obedientiam neceſſariam, T. 4. Oper. p. 508.

Et triplicem poteſtatem, citra ullius injuriam, ſibi aſſignare & uſurpare poteſt Miniſteriũ eccleſiaſticũ, quippe ad ſcopum ſuũ conſequendũ, & ſpiritualem finem inducendum, perneceſſariam. Quia tamen illa merè eccleſiaſtica eſt, non Politica: διακονικὴ, non αὐτοκρατορικὴ ſupernaturali fini deſerviens, ſeculari poteſtati non-prædominans. inſignienda erit potius famulatus, quàm dominatus nomine, & ipſum Officium rectius miniſterium, quàm Imperium indigitabitur. Nam ab imperio hic ſtatus denominationem ſuam ſortiri nunquam poteſt, quia ei κατακυριεύειν rotundè indicitur, Matt. 20. ✝. 25. 1. Pet. V. 3. præſertim, cum hactenus omniũ miniſtrorum eadem ſit ratio, ne ſummô quidem in ordine exceptô, ſicut verba Chriſti ſatis evidenter evincunt: Quicunq; voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter miniſter; & qui voluerit primus eſſe, eſto veſter ſervus, Matt. 20. ✝. 26 ὁ ἡγούμενος ὡς ὁ διακονῶν, Luc. 22. ✝. 26. adeoq; nunquã & nusquam externè cogere valeat & violenter, ne quidem in ipſa excommunicatione. nam & hæc in quibus locis viget, ſolummodò pœnam inducit privativã, nec plenum ſortitur effectum, niſi ſponte ſuâ pereat excommunicatus, in cujus ſalutem potius ſuſcepta erat excommunicatio, quàm in perditionem, 1. Cor. V. 5. Et horſum iterum refero, quæ de re iſta pronunciat Dn. Philippus T. 1. Oper. p. 137. b. Fatemur, reos manifeſtorum

Tttt 

ſcelerum, legitimo judicio & ordine excommunicandos eſſe, nec eſt inane fulmen juſta Excom̃unicatio; Sed tamen poteſtas Eccleſiæ nõ punit vi corporali, carcere aut inediâ, tantùm pronunciat ſententiam, Carcer & ſupplicia publica deſtinare, ad politicos Gubernatores pertinet!

## III.

## An aliquis, bonâ cum Conſcientiâ, poſſit obire Miniſterium, ſi non obtineat ibi clavis ligantis exercitium?

*De Schwencofeldianis Formula Concordiæ commemorat, quod inter alios etiam ſequentem errorem foverint, non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, in qua non vigeat publica Excommunicatio, & ſolennis aliquis excommunicationis modus, ſeu, ut vulgò dicitur, proceſſus ordinarius, cap. 12. de *Schwencof.* errore 7. In eodem luto jam olim hæſerant *Donatiſtæ*, qui cum cernerent in *Eccleſiis* vitia, quæ verbis quidem reprehenderent Epiſcopi, ſed excommunicatione non plecterent (quia non putabant, ſe hâc viâ quicquam profecturos) in *Epiſcopos* atrociter invehebantur, tanquã *Diſciplinæ* proditores; & â Chriſti grege, impiô ſchiſmate, ſe dividebant, teſte *Calvino* l. 4. Inſt. c. XII. §. XII. Conſenſerunt igitur utrinq;, non poſſe ſubſiſtere miniſterium, in quo non ſit clavis ligantis exercitium, & per conſequens, neminem ibidem ſalvâ cum conſcientiâ poſſe obire munus Eccleſiaſticũ. Nec ἀλόγως videntur ſic ſenſiſſe. Dederat enim Chriſtus Eccleſiæ nõ ſolùm clavẽ ſolventẽ, ſed & ligantem, Joh. 20. ℣. 23. Ergò vel utramq; omittat, vel per Miniſteriũ utramq; exerceat, ne alterutra ſaltẽ fruſtrà collata appareat. Deinde, dictũ fuit in præcedente caſu, poteſtatẽ οἰκονομίας, τάξεως καὶ κρίσεως habere ſe invicem, ut partes integrantes unius integræ poteſtatis *Eccleſiaſticæ*. Quis autẽ neſcit ex Logica: ſuppreſsâ unâ parte integrali, mancũ reddi ipſum totũ ſive integrũ? Accedit tertiò autoritas Ambroſii, dicentis: Eccleſia in utroq; ſervat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet, l. 1. de *Pœnit.* c. 2.

Ut igitur hunc Caſum ritè decidamus, dicimus I. nihil majus nobis eſſe in votis, quàm ut priſtina diſciplina revocetur, & ſeria atq; ſevera morum correctio inſtituatur, atq; hac ratione, Moſi, Lev. 5. ℣. 1. 2. Nũ. 5. ℣. 2. *Chriſto*, Joh. 20. ℣. 23. Apoſtolis, 1. Cor. 5. ℣. 11. 13, 2. Theſſ. 3. ℣. 14. & ſanctis *Patribus*, inter quos Ambroſius emicat, tanquam Luna inter ſtellas minores, apud Theodoret. l. 5. c. 17. obtemperetur, & multis incommodis via præcludatur.

2. Si

2. Si forſan apud quosdam receſſum ſit ab antiqua Diſciplina (ſunt enim cauſæ, propter quas acciſa primæva ſeveritas, & præſertim excommunicationis rigor alicubi ſit mitigatus, quarum nonnullas adducit Cl. Dn. Meisnerus in conſid. Theol. Photin. p. 895) ſummoperè optare, ut integrũ miniſterium ſuam operam in unum conferat, & conjunctis viribus reſtitutionem & plenum uſum urgeat. Apud Magiſtratum quidẽ, tanquã divinæ legis fidelem & exactum cuſtodem, illius vindicationem & conſervationem ſolicitè allegando; apud Populum ſive ſubditos, ejusdem neceſſitatem & utilitatem ſolerter demonſtrando. Fuerint ſanè cauſæ, quæ permoverint Aretium, ut in eam opinionem deſcenderit, clavis ligantis uſum, præſertim, quod ad excommunicationem attinet, hodiè revocari non poſſe, part. 2. Probl. de Excomm. p. 52. ſunt tamen longè graviores, quæ illius reſtaurationem ſuadeant, imò depoſcant, inter quas præponderat exquiſita neceſſitas ac utilitas: de utraq; paulò ante ipſe Aretius, p. 44. Excluſio neceſſaria & utilis eſt, vel eo nomine, quòd pars ſit miniſterii Eccleſiaſtici. Nam cum dicim⁹, Miniſterium eſt ordinaria functio Eccleſiæ, poſita in docendo ſanam doctrinam, cum adminiſtratione ſacramentorũ & diſciplinæ morum, ad certam & evidentẽ hominum utilitatem. Definitio iſthæc rectè colligi videtur ex partibus officii illius, quas non ſolùm noviſſe, ſed & adminiſtrare utiliter oportet. Quemadmodum igitur Doctrina ſana utiliter eſt proponenda: itẽ ſacramenta cum fructu ſunt adminiſtranda: ita quoq; diſciplina morũ negligi minimè debet, quę ſola quæritur in Excommunicatione pia & Chriſtiana. Hactenus Aretius. Et annon magna utilitas, ſi ꝓvideatur, ne Eccleſia & ſalutaris Chriſti doctrina, ob laxas habenas, malè audiat? at hoc præſtatur per diſciplinã Eccleſiaſticã! annõ magna utilitas, ſi reliqui, quia virtute nolint, ſaltem metu, ex aliena animadverſione contracto, á peccatis abſterreantur, & in officio contineantur? at hoc præſtatur per diſciplinã Eccleſiaſticã! annon magna utilitas, ſi excluſi ſive excommunicati, ob pudenda ſua delicta, pudeſiant, & quanto in periculo verſentur, tempeſtivè conſiderantes, de reditu in gremium Eccleſiæ & gratiã Dei, ſeriò cogitent? at hoc quoq; præſtatur per diſciplinã Eccleſiaſticã. Ergò de Mundo Solẽ tollere videntur, & iliada bonorũ quodammodò avehere, qui de Miniſterio cenſuram tam utilem, ne dicã, ſubducere aut ſumovere, ſaltẽ ſuſpendere præſumſerint.

3. Quòd ſi verò nihil proficiant preces, nihil interceſſiones, nihil ſupplicationes, licet robore fuerint põderoſiſſimæ, & numerò iteratiſſimæ: ſed, per reſtitutionem Excommunicationis, Magiſtratus vereatur, ne Miniſterium ſumat imperium ſuper ipſum, & ἀπεργωποληπτως ſupremam etiam poteſtatem jaculis ſuis feriat: item Populus, ne tyrannis & conſcientiarum carnificina reducatur, & paulatim profligatus papiſmus

 reſta-

reſtabiliatur: ideò exciſam & excluſam eam velint perpetuò, tunc Miniſterio alia ſuppetunt conſilia, quæ pro reficienda ſua Conſcientia adhibeat.

1. Ut miſericorditer corripiat, quod poteſt: quod non poteſt, patienter ferat, & cum dilectione gemat, nec deſinat Deum exorare pro meliori rerum conditione, donec aut ille deſuper emendet & corrigat, aut uſque ad meſſem differat eradicare Zizania, & paleam ventilare, Aug. l. 3. contra Epiſtolam Parmeniani c. 2.

2. Ut laboret pro formula Denunciationis, quâ intus convictis de atrocibus criminibus, publicè & ſolenniter pro ſuggeſtu intimetur, quòd, qui talia agunt, indigni ſint communione ſanctorum, participatione Sacramentorum, & parte Regni Cœlorum. Tunc enim procul dubiò, *Deus Ipſe* miniſterii partes ſupplebit, denunciationi vires & robur adhibebit, eamq; ſuo tempore ità conſummabit, ut prodantur ſorices, confundantur, & tanquam putrida membra, â corpore fidelium ſequeſtrentur, abjiciantur, perdantur.

3. Ut liceat infami labe peccati notatis, adeoq; indignis, Abſolutionis & Communionis uſum ſuſpendere, ne contra Chriſti interdictum, ſanctũ porrigatur canibus, & unio projiciatur porcis, hoc eſt, interprete Euthymiô, immedicabili impietate conſtrictis, fidei chriſtianæ diſtribuantur mysteria. Matt. 7. ℣. 6. Es gebüret ſonderlich einem Pfarrer/ inquit Avianus part. 1. praxis Eccl. p. 27. fleiß zuhaben/ damit er keinen Unwürdigen zum Tiſch des Herrn laſſe. Dann Chriſtus verbeut das Heiligtumb den Hunden zugeben/ Matt. 7. So ſaget *S. Paulus* 1. Tim. 5. die Hände lege Niemand bald uf/ mit welchen Worten er lehret/ daß mann mit der Abſolution vorſichtig umbgehen ſolle. So iſt des Herrn Lutheri Spruch der Churfrl. General Kirchen Ordnung einverleibet: Es unehren das Sacrament nicht allein/ die es unwürdig nehmen/ ſondern die es auch unwürdigen geben. *Et* poſt pauca: Es iſt zumercken das exempel Chryſoſtomi/ welcher da ſagte: Er wolte ſich lieber mit glüenden Zangen zerreiſſen laſſen/ als einen Unwürdigen zu communiciren!

4. Ut Magiſtratum quàm inſtantiſſimè admoneat adminiſtrandæ juſtitiæ, quò punitione reorum retribuatur, quod per eccleſiaſticam excommunicationem intermittebatur. Facilius enim toleratur, ſi aliis officiis cõpenſetur, quod erat violatum, inquit alicubi Cicero: quod etiam in hac noſtra jactura obtinet, vel ipsô Mattheſiô ſuffragante in explic. 1. Cor. V. Mit der erſten Kirchen/ ſpricht Er/ zu und nach der Apoſtel zeit/ hatte es eine andere meinung und beſcheidt/ da war Heydniſche Obrigkeit/ die hulff den Kirchen kein diſciplin erhalten/ ja da wurden viel offentliche Sünd begangen/ die man nicht ſtraffte/ als Hurerey/ Abgötterey ꝛc. Derhalben weil die Chriſtliche Kirch des Weltlichen Schwerts und Politiſcher Macht und Gewalt mangelte/ und keinen

Ruckhalter hette/ wolte es von nöthen ſein/ den Bann zugebrauchen / uf daß alſo das Böſe geſtraffet/ und eine erbare Kirchenzucht und diſciplin möchte erhalten werden; Dieweil aber unſer Obrigkeit mit in der Kirchen/ und darzu Chriſtlich iſt/ können ſie uns des Banns überheben/ wenn ſie ſich ihres Ambts fleiſſig annehmen/ darzu ich dann alle fromme und erbare Obrigkeit ermahne / daß ſie offentliche und bekannte Schandbuben nicht ungeſtrafft laſſen hingehen/ denn GOtt ſtrafft ſonſtẽ einen böſen Buben mit dem andern!

Quibus ita ritè obſervatis, facilè erit reſpondere ad ea, quæ ab initio Casûs fuerant producta

Ad 1. quidem concedimus, utramq; clavem á Chriſto traditam eſſe Eccleſiæ, & eam totaliter etiam eſſe uſurpandam, ſi Eccleſia ſit ſui juris & libera; ſecus, ſi ſub jugo ſit & preſſa. tunc enim præſtare ei, ſi quadantenus re ſaltem potiatur, utut ſummô rei gradu deſtituatur,

Ad 2. ſit poteſtas κρίσεως pars integrans muneris eccleſiaſtici: ea tamẽ in ſolidum non conſiſtit in Excommunicatione, ſed & in ſuſpenſione. ergò ſalva duntaxat hæcce maneat, utiq; non poterimus ſugillari de amiſſa tota poteſtate. nam & qui partem poteſtatis retinet, poteſtatis particeps eſt, licet non in integrum; aut fortè non tenebit humanitatem, qui pede aut brachiô mutilatus fuerit?

Ad 3. per nos non ſtat, quominus plenè alligemus, ſicuti relaxamus; ſed per eos, qui hoc membrum Miniſterio eluxârunt, ad cujus κατόρθωσιν anhelamus, certè quotidiano affectu, ſi non datur effectu; ultrò verò fruſtrà niti, & nihil niſi odium per id quærere, hoc demum extremæ dementiæ eſſe judicamus.

## IV.

## Utrùm chriſtiani Epiſcopi, bonâ cum Conſcientiâ, præter munus eccleſiaſticum, etiam gubernationem politicam poſſint ſuſcipere?

Hic mos, inter cætera, in Germania potiſſimùm obtinuit, ut infulati Epiſcopi, vel, inſuper habitis functionibus eccleſiaſticis, pro ipſis â Chriſto & Apoſtolis inſtitutis, ſolâ politicâ gubernatione defungantur: vel, præter eccleſiaſtica, etiam politica munia obeant, atq; ita, quod dici ſolet, unâ fideliâ duos parietes dealbent. Et ne ſine cortice nataſſe exiſtimentur, non ſolùm ad primævam conſuetudinem provocant quâ Epiſcopis uterq; gladius, ſpiritualis & corporalis, a ſummis Imperatoribus fuerit aſſignatus:

 ſed

ſed ad ipſas etiam ſacras literas, quæ, exemplis & præceptis, hoc illorum jus ſanciverint & confirmaverint.

Annon enim, inquiunt, Melchiſedec, Rex ſimul fuit atq; Pontifex? Gen. 14. ℣. 18. Moſes, ſimul Dux ſummus & Sacerdos ſummus? Exod. 18. ℣. 13. & 40. ℣. 27. Samuel, ſimul Sacerdos & judex in Iſraël? 1. Sã. 7. ℣. 15. Quid Maccabæi? añon omnes Pontifices, & ſimul Politici Duces? Et ne quis prætendat, exoleviſſe hanc conſuetudinem cum vetere Teſtamento; audi ſis Paulũ, ſuũ Timotheum in tribunali collocantẽ & poteſtatẽ politicã, eamq; judiciariã ipſi attribuentem, ſub ſolenni formula: adverſus Presbyterum noli accuſationem admittere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus, 1. Tim. 5. ℣. 19. imò attende univerſali illius præcepto, quod prohibet invicem chriſtianos altercari, & jubet, judiciô experiri ſub ſanctis, id eſt, ſub Epiſcopis, aut aliis, ſacris ordinibus initiatis, 1. Cor. 6. ℣. 1. inprimis verò Chriſtum auſculta, Matt. 18. ℣. 17. Eccleſiam, omnium controverſiarum diſceptatricem & finitricem, cõſtituentem: Quid autem hoc loci ſub nomine Eccleſię intelligendum veniat, vetus ſcholiaſtes ſatis notanter indicat, dum hanc gloſſam apponit: Ἐκκλησίαν λέγει νῦν τοὺς προεστῶτας τῆς ἐκκλησίας τῶν πιστῶν.

Ex quibus locis Pariſius & alij Pontificii permoti ſunt, ut õ ſolùm juriſdictionem Epiſcopis tribuerint: ſed & culmen ſecularis *D*ignitatis in illis agnoverint, & Principes terræ eos indigitaverint, vol. 4. Conſil. 141. n. 25. cui ſuccenturiatur etiam Bellarminus l. 5. de Rom. Pontif. cap. IX. per totum.

Nos quidem nullius vel Autoritati vel Juri quicquam detractũ cupim⁹. facilius enim Herculi clava extorquebitur, quàm modernis Epiſcopis gubernatio politica; Interim tamen, quia res Conſcientiæ agitur, & non tàm quæritur, quid fiat, quàm quid, illæsà cum Conſcientiâ, fieri debeat? omninò ſtatuim⁹, hominẽ Epiſcopũ gubernationẽ eccleſiaſticã & politicã ſimul adminiſtrare õ debere. quia hoc tã juri divino, quàm antiquo hacten⁹ ſit contrariũ.

Quod juri divino, patet ex ſequentibus teſtimoniis: Lu. 22. ℣. 25. 26. Reges gentium dominantur. vos autem nõ ſic. 1. Pet. 5. ℣. 3. non dominantes cleris. 2. Tim. 2. ℣. 4. nemo militans Deo, implicet ſe negotiis huj⁹ ſeculi: quę poſtremum locum ad Epiſcopos referens Papa Nicolaus, D. 96. C. cum ad verum. 6. ſic definit: *Cum ad verum ventum eſt, ultrà nec ſibi Imperator jura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatoriũ ſibi uſurpavit, quoniam idem Mediator Dei & hominum, homo Jeſus Chriſtus, actibus propriis & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriusq; diſcrevit, ut Deo militans minimè ſe negotiis ſecularibus implicaret: ac viciſſim, non ille reb⁹ divinis præſidere videretur, qui eſſet ſecularibus negotiis implicatus.* Quid, quæſo, contra σύμμιξιν eccleſiaſticam & politicam poſſet eſſe clarius?

Ne quis autem excipiat, tyrannicũ ſolummodò dominatũ in Scriptura

Epi-

Epiſcopis eſſe interdictũ, non regimen mode[illegible]um & æquum; id quod Bel-larmini eſt effugium. l. V. de Rom. Pontif. c. 10. ſciendum eſt, illũ dominatũ interdici, quem affectârint Apoſtoli. at nõ affectârunt tyrannicum, ſed æquũ ac legitimũ, qui regno Chriſti mundano, ſi quod futurũ, eſſet cõgruus. Ergò nec tyrannicus, ſed æquus iſte ac legitimus dominatus fuit interdictus.

At adhibetur in interdicto verbum κατακυριεύειν, quod Tyrannorum eſt proprium. Reſpondeo, extat id verbi Matt. 20. ℣. 25. at Luc. 22. ℣. 25. habetur ſimplex κυριεύειν: ſed nec compoſitũ κατακυριεύειν ità comparatũ eſt, ut ſemper Tyrannicũ dominiũ indè poſſit exſculpi. nam Gen. 1. ℣. 28. jubentur Protoplaſti κατακυριεύειν τῆς γῆς, dominari ſuper terrã; quis verò indè concludet, injunctũ illis fuiſſe à Deo dominiũ tyrannicũ? & Pſ. 72. ℣. 8 de Rege, Meſſia, pronunciatur, quòd κατακυριεύσει, dominaturus ſit à Mari usq; ad Mare &c. quis verò tàm blaſphemus, ut indè arguere velit Salvatorem noſtrũ alicujus tyrañidis? Ut taceã, ne quidẽ apud Profanos autores iſtius voculæ ſignificatũ perpetuò eſſe famoſum. namq; apud Homerũ, de Regib⁹ Lyciorũ Sarpedon pronũciat, ꝙ κατακυραινέουσιν, dominẽtur, õ certè tyrannicè, ſed οὐκ ἀκληεῶς, non ſine magna gloria, Jl. 12. ℣. 318. Manet itaq; ratum, Epiſcopis omnem dominatum interdici, & Miniſtrationem ſolam in Scripturis injungi.

Quoad jus antiquum, ſufficiat teſtimonium domeſticum magni iſtius Cujacii, quod ità ſe habet? Si jus antiquum ſpectas, quacunq; de re agatur, nulla eſt jurisdictio, nullum forũ Epiſcoporum, Valentiniano autore in Novella de Epiſcopali judicio, quæ Tit. XII. Cod. Theod. ſic ſonat: Conſtat, Epiſcopos & Presbyteros forũ legibus õ habere, nec de aliis cauſis, præter religionẽ, poſſe cognoſcere. At jure antiquo ſublato, jurisdictio Epiſcoporũ cœpit eſſe maxima, tantùm, quod cognitio de poſſeſſione Principibus erepta õ eſt, õ quòd hanc ſibi Pontifices vindicare õ tentaverint, ſed ꝙ Principes ſemper in hac re habuerint adverſos, in Recitationib⁹ Decretaliũ l. 4. c. 4. p. 537.

Sed ut etiã rationibus, in contrariũ adductis, ſatisfiat, ſciendũ eſt, haudquaquã inficias nos ire, Epiſcopos, præſertim modernos & in Germania cõſtitutos, Principatũ ſecularẽ obtinere, & uſurpare gubernationẽ politicam: ſed addimus, illos hoc habere, õ tam quà Epiſcopi ſint, ex jure aliquo divino, aut donatione Chriſti immediata: quàm ex Inveſtitura de temporalibus bonis, & quæ his añexa ſunt, ab Imperatoribus ipſis factà, &, ſucceſſu temporis, magis magisq; confirmatâ. Ἀφορμὴ autem hujus Collaturæ erat nimius reſpectus & cultus. Poſtquam enim priſci Imperatores Gentiliſmũ abjecerunt, & Chriſtianiſmum apprehenderunt, porrò ſummo animi affectu Epiſcopos amplexari, &, ceu ſpirituales ſuos Patres, ꝑ quos in Chriſto fuerint regeniti, ſuſpicere cœperunt, etiam rebus adminiſtrandis illos admoventes, &, poſt-

quam

quam eorum dexteritatem experti fuerant, nonnullam ſecularem poteſtatē eisdem attribuentes, ad conteſtandum nimirum eximium ſuæ pietatis ſtudium, & reverentiam erga Chriſti miniſterium. Hîc humilitatis epiſcopalis fuiſſet, manum tollere de tabula, & oblatam provinciam politicam modeſtè potius declinare, quàm ſuſcipere, atq; ſic in alienam meſſem manus immittere; verùm prævaluit πολυπραγμοσύνη, & tandem, neſcio quod bifrons monſtrum, progeneravit, quod â parte antè Epiſcopum, â parte pôſt Politicum nobis repræſentaret. Volebant quidem emunctiores, malum iſthoc præcavere, & primitùs non omnibus ſecularibus negotiis tractandis Epiſcopos adhibere, ſed controverſiis duntaxat teſtamentariis, & inter perſonas, aliquâ ſanguinis neceſſitudine junctas, agitatis, ut liquidò conſtat ex epilogo Novellæ 155. exiſtimantes, Epiſcopos, â populo etiam honoratos & reverenter habitos, præſentiâ ſuâ atq; allegatione Scripturæ teſtimoniorum multùm poſſe præſtare, & obortas hujuſmodi altercationes facilimô negotio ſopire & componere. Item, non aliquam jurisdictionem illis tribuere, ſed tantùm audientiam epiſcopalem, quemadmodum luculentus index eſt totus titulus Codicis de Epiſcopali Audientia, ut hoc ipſo jurisdictionem Magiſtratui Politico ſartam tectam cuſtodirent, & ſimul Epiſcoporum oculis exponerent, quantum divortium inter ſuum & Politici Magiſtratus intercederet officium:

Sed longè prudentiùs feciſſent Imperatores, ſi memores moniti Ariſtotelei l. 5. Pol. c. 3. Dico, inquit ibi Philoſophus, rem parvi momenti, quod ſæpè non ſentiunt homines. futuram magnam Reip. mutationem, dum in re parva negligentes ſe præbent &c. Epiſcopos in ſuo nido eccleſiaſtico reliquiſſent, nec ullatenus ad politica munia adhibuiſſent, &, procul dubiô, tanta confuſio haud ſecutura fuiſſet.

Nam Epiſcopi, aliis, etiam ſub metu corporalium pœnarum imperitandis præfecti, indies faſtu magis accendebantur, mundanis negotiis implicabantur, hortis, ædibus, prædiis, pagis cum omnibus ſuis pertinentiis, accumulabantur, & tanquam privilegiarii Principes in ſuas Ditiones introducebantur, ſerpente tamen adhuc & latitante αὐθεντίᾳ, ſub indultu & conniventia Regum & Principum: At poſtquam Pontifex Romanus proſiluit, fræna omnis ſubjectionis excuſſit, & non ſolùm ſuper Reges & Principes ſolium ſuum conſtituit, ſed & ſpicula excommunicatoria adverſus eos vibrare auſus eſt, Epiſcopi foro uti haud inſcii, idolo ſuo ſe conjunxerunt, ſeculari Poteſtati ſe exemerunt, Pontifici obedientiam jurârunt & pro ejus conſervatione, ſanguinem & animam devoverunt; Principibus quidem profundùm ingemiſcentibus, at ſerò, & nihil proficientibus, imò, præ metu excommunicationis, ab omni contraria molitione deſiſtentibus. Hæc ſi prioribus

Principibus in mentem veniſſet unquam, nunquam Epiſcopis, quorum fidei ſingulari, & integritati morum laudabili, nec non Conſcientiæ & ſcientiæ eminenti, propter nomen & honorem ſacerdotii, talia ſuo tempore tribuebant, tantum indulſiſſent, ut ad exceſſivas & regias planè prærogativas aſpiraſſent, quin imò regalibus opimiores & eximiores attentâſſent, & ſurreptis faſcibus de Principum etiam præeminentia pænè triumphâſſent.

Eant nunc Epiſcopi, & multùm de poteſtate ſua ſeculari glorientur, quam veriùs dixeris Principum tolerantiam, in cenſum eorum referendam, de quibus olim Demoſthenes: ταῦθ' ὁρῶντες οἱ Ἕλληνες, ἀνέχονται i. e. talia videntes Græci, tolerant; non abſimiles illis, qui dum grandinem ſpectant, optat quisq́; , ne in ſuos agros deferatur; prohibere tamen conatur nemo, Orat. 3. in Philipp. p. 48. Et in communi, Medicorum filij, dum ajunt: Medicinæ eſt, non omnes morbos ab ægris in totum tollere, ſed eorum vehementes impetus obtundere, & iis, qui à morbis victi ſunt, manum non admovere, cum in confeſſo ſit, HOS medicinam ſanare non poſſe, per Wilhelm. Ader. in Orat. habita Tholoſæ, Anno 1617. p. 456.

*De* Exemplis & locis V. T. in genere tenendum, firmiter in tali caſu concludere Regulam Cl. Morelæ, ex eo, quod in Lege naturæ fuit, non debere ſumi argumentum ad legem Gratiæ, in quo Sacerdotium à Regno eſt ſeparatum, parte 1. Emporii Juris, Tit. 2. ff. q. 4. n. 3. & pleraq́; ita comparata ſunt, ut ſingularitate ſua expirent, & in ſolis individuis finiantur; ad Succeſſores autem, etiam immediatos, haudquaquam extendantur, nedum ad Epiſcopos Novi Teſtamenti, multis ſeculis poſt futuros. Militat enim & hîc vulgata Regula: Singulare eſt incommunicabile!

In Melchiſedeco agnoſcimus conjunctionem ſacerdotii & regni: ſed ſingularitas emicat ex eo: quia debebat eſſe typus Chriſti, ſacerdotium & regnum (non tamen ſeculare, ſed ſpirituale) ſimul adminiſtraturi, ergò eatenus Filio Dei eum oportuit aſſimilari, Heb. 7. ℣. 3. ſed ità iſte typicus reſpectus in Melchiſedeco ceſſavit, ut licet Salem plures ab eo tempore habuerit Reges, nullus tamen ſimul ſacerdotium amplius obiiſſe legatur. Hinc vetus Traditio, Melchiſedecum nec prædeceſſorem habuiſſe, nec ſucceſſorem in ſuo ſacerdotali Regno & regio Sacerdotio.

De Moſe ità ſe res habet: Nunquam fuit ille ordinarius Pontifex in Iſrael, fuit autem Dux ordinarius, ex vocatione divina: verùm quia derepentè, in primo ſtatim egreſſu, ſacerdotium Aronicum non poterat in actum deduci, ſed aliquod temporis intervallum requirebatur, evenit, ut interim Moſes nonnullas partes ſacerdotales executus ſit: quas, conſtitutô poſtmodùm & completô Sacerdotiô, Aaroni & Filiis ipſius omnes jubens ceſſit, ità, ut ipſe cum ſuis in ſorte Levitarum ſubſtiterit, 1. Par. 7. ℣. 48. 49. nec Jo-

 ſue

ſuæ, ſucceſſori, ſimile quid tentandi & munia ſacerdotalia obeundi, nullam poteſtatem reliquerit. Et quia inter alios actus ſolennior erat is, quo Moſes Aaronem conſecravit, & adhibitis conſuetis ſacrificiis ac ceremoniis in ſummum Sacerdotem creavit & confirmavit, Lev. 8. factum eſt, ut Auguſtinus inde occaſionem ſumſerit ſcribendi, ambos, Moſen & Aaronem, TUNC ( puta in ſingulari iſto actu, & non ex ordinaria functione ) fuiſſe ſummos ſacerdotes, T. 4 q. 23. in Levit col. 203.

*S*amuel ſpecialem habuit vocationem, & invitus pænè utramq; gubernationem ſuſcepit; quia tamen neceſſitas non aliter ferebat. ſermo enim Jehovæ valdè erat carus in diebus illis, nec erat viſio aperta, 1. Sam. 3. ℣. 1. imò ipſum ordinarium ſacerdotium, per Heli filios fœdiſſimè corruptum & depravatum, 1. Sam. 2. ℣. 12. tandem permiſit ſe voluntati divinæ, & ſacerdotali etiam politicam gubernationem conjunxit; quæ tamen ipſa ſacerdotalis functio in filiis Samuelis brevi pòſt tempore iterum exſpiravit, ſolâ poteſtate judiciali illis relictâ, 1. Sam. 8. ℣. 1.

Maccabæorum exempla nihil ad rem. Totus enim Reip. ſtatus erat tunc intricatus & conturbatus, quo dignus & indignus pariter ſacerdotium cum imperio arripiebat, â quo formam ſani regiminis aut legitimi velle mutuari, eſſet è ſpinis uvas, & ficus de tribulis colligere.

*D*ejectis de propugnaculis V. T. Epiſcoporum alaſtoribus, ulterius diſpiciemus, num in Novo aliquod robuſtius præſidiū adinveniant. Provocât autē 1. ad locū, 1. Tim. V. 19. Advers⁹ Presbyterū accuſationē ne admittito, niſi &c. At æquè fruſtrà. nā Paulo curæ nunquā erat, Timotheo tribunal politicū erigere, aut civilia negotia demandare, alioqui paulò poſt eidē ō interdicturus fuiſſet, ne ſe immiſceret ſecularibus negotiis, *2.* Tim. 2. ℣. 4. ſed monere, ut ſi quæ accuſationes adverſus Presbyterū inciderent, ō præcipitanter ageret, & quorumvis futili delationi deferret: ſed, in honorem Senioratus, duos trésve teſtes exigeret, & ob defectum chriſtiani Magiſtratus, ipſe negotium expeditum daret, ut ità Autoritas Presbyteralis reverentius haberetur, & iis, qui foris ſunt, anſa calumniandi Chriſtianos, faciliùs præcideretur. Sed quid hoc ad noſtra tempora, quibus Magiſtratus chriſtianus præſidet; Miniſterii debitum reſpectum habet, & non minus clericis, quàm laicis, æquiſſimum patrocinium exhibet?

In altero loco 1. *Cor.* 6. ℣. 1. non dicitur, quòd Chriſtianis ſub ſolis *E*piſcopis aut Clericis judiciô experiundum ſit. id enim neq; ex verbis, neq; ex ſenſu elicietur unquam: ſed hoc ſolùm, aut prorſus â litibus & judiciis abſtinendum: aut ſi fieri aliter non poſſit, quin ob incidentes lites judiciō experiendum ſit, ne cognitio ad iniquos, hoc eſt, ad Gentiles, qui ob odium religionis vix aliter quàm iniqui eſſe, & iniquā ſententiā ferre poſſent, devol-

devolvantur, ſed Chriſtianis fratribus, ſive clerici, ſive laici ſint (quos omnes absq; diſcrimine præſumi ſanctos & juſtos rerum arbitros) diſceptandum permittatur. ſic enim futurum eſſe, ut & lites æquius componantur, & ſcandala nominis & honoris chriſtiani declinentur.

Tandē quis præſumet, Chriſtum Matth. 18 ℣. 17. Tribunalia mundana ſuſtuliſſe? aut Prætores Romanos cum ſuis Dicaſteriis Judæa expuliſſe, & in eorum locum Eccleſiæ Epiſcopos ſubſtituiſſe? nempe, qui ignorat, ejusmodi inquietationibus jurisdictiones turbari, ſummam majeſtatem violari, & partem offenſam ad pœnam & vindictam iritari! qua de re prolixè Johann. Vincent. Hondedeus, part. 2. Conſil. 95 & 100. Abſit tàm ſiniſtra de innocentiſſimo Servatore noſtro ſuſpicio: ſed hæc ejus Mens eſt, ut Chriſtianus, à proximo ſuo offenſus, poſt primum & ſecundum correptionis gradum, in offendentem fruſtrà adhibitum, tandem confugiat ad tertium, eumq; publicum, & Eccleſiæ ejusve Præſidibus (Tertullianus vocat probatos quosq; Seniores) illatarum injuriarum faciat indicium, ut maturè & ſartè cauſam cognoſcant, &, ut habet idem vetus Scholiaſtes, ἴσως τῶν μεταπείσωσιν, junctis viribus, in aliam perſuaſionem eum adducant, ut Reus ſic, vel in rectiorem viam revocetur, motus tot piorum, factum ſuum improbantium, conſenſione: vel, ſpretâ etiam tantâ ὑπεροχῇ, impoſterùm tanquam vilis, & ab omni pietate atq; religione remotus, cenſeatur, & ab altero propioris amicitiæ vinculô amplius indignus habeatur.

Patet autem ex dictis luce meridiana clarius, Epiſcopos ſuo Cæſaropapatu in caducum parietem inclinare, & illius nullas idoneas poſſe adducere rationes: proinde jus fasq; eſſe, ut eccleſiaſticâ functione contenti, Principibus politicam gubernationem ſartam relinquant atq; illibatam, ne experiantur in ſe vulgi proverbium: *Duos inſequens lepores, neutrum capit.* Sanè, fortis Zelotes eſt Deus, q ſui Chori temeratores inultos abire ō ſinit!

V.

## Utrùm Epiſcopi, bonâ cum Conſcientiâ, ſibi ſolis poſſint arrogare jus Ordinationis, excluſis Presbyteris?

Ut præſens caſus intelligatur rectius, ſciendum eſt, Pontificios 1. ſtatuere eſſentiale diſcrimen inter Epiſcopū & Presbyterū, ita quidē, ut Epiſcopus & majorē habeat poteſtatē jurisdictionis, quàm Presbyter, & præterea ſola facultate ordinādi & cōfirmādi ſit præditus: At Presbyter degat ſub imperio Epiſcopi, eiq; tāntummodò cōpetat Verbi prædicatio & reliquorū quinq; Sacramētorū adminiſtratio, cū inſtructione populi & regimine interno cōſcien-

tiarum, Toletus l. 1. inſtruct. ſacerd. c. 3. Bellarm. l. 1. de Cleric. c. 14.
Poſſent forſitan hæc tolerari in illis, de conſuetudine humana. nam de di-
vino jure res aliter ſe habebit: nec non de diſcrimine accidentali, quod cir-
cumſpectio ingenioſiorum ſucceſſu temporis in Eccleſiam invexit; non
eſſentiali: in quo Epiſcopo cum Presbytero ex aſſe convenit. nomina qui-
dem diſtincta ſunt, ſed res eædem, eademq; poteſtas: Niſi 2. ulterius pro-
grederentur, &, ex eodem fundamento, totum Evangelicorum miniſteri-
um vocarent in dubium, ad hunc modum argumentantes: Quicunq; ab
Epiſcopis non ſunt ordinati, illi non ſunt legitimi Verbi miniſtri, Atqui
Evangelici Prædicantes non ſunt ab Epiſcopis ordinati. Ergò &c.

Audiatur quæſo, quomodo Bellarminus argumentum hoc illuſtret,
& quantum eidem tribuat, inquiens: Argumentum inde colligimus indiſ-
ſolubile. Eſt autem tale: Non ſunt veri Paſtores, qui non ſunt per manus
impoſitionem â veris Paſtoribus ordinati. Id Calvinus ex Apoſtolorum
conſuetudine, quæ nobis pro lege, ut ipſe ait, eſſe debet, rectiſſime colligit.
Lutherus autem Zwinglius, Calvinus & cæteri, qui Paſtores priori apud ſu-
os habentur, non fuerunt per manus impoſitionem â veris paſtoribus or-
dinati. Nam ſi ſecus, â quibus obſecro? â ſuisne, an â noſtris? non à ſuis.
ipſi enim ſunt primi. neq; enim ante Lutherum, ulli fuerunt Lutherani. neq;
ante Zwinglium, Zwingliani, neq; ante Calvinum, Calviniſtæ, qui eos pa-
ſtores ordinare poſſent. Non item â noſtris. ſiquidem in Eccleſia catholica,
unde receſſerunt, neq; Lutherus, neq; Zwinglius, neq; Calvinus Epiſcopi
fuerunt, ſed tantùm Presbyteri. *P*orrò presbyteri, qui Calvino Miniſtri
ſunt, non Paſtores, non habent Ordinandi poteſtatem; Quid facit, inquit,
Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium, exceptâ ordinatione Epiſcopus,
quod *P*resbyter non faciat? Et Calvinus, Hieronymo ſubſcribens, paulò
antè dixit, à SOLIS paſtoribus i. e. Epiſcopis miniſtros ordinari. l. 1. de
Cler. c. 3. §. ſed quoniam &c.

Idcircò operæ pretium fuerit, huic negotio paulò accuratius immora-
ri, donec rei veritas tandem eruatur, & miniſterii noſtri illibata integritas
confirmetur & conſervetur.

Dicimus autem 1. de jure divino nos nullum agnoſcere diſcrimen inter
Presbyterum, Verbo operantem, & inter Epiſcopum. nam talis Presbyter
idem erat in Apoſtolica Eccleſia, quod Epiſcopus; & Epiſcopus idem, quod
talis Presbyter. patet hoc non tantùm ex eo, quod Bellarminus, de
iſto diſcrimine agens, ne unum quidem fundamentum poſſit adducere ex
tota S. Scriptura, l. 1, de Cler. c. 14: Sed etiam 1. ex permutatione nominis.
nam qui modò Presbyteri dicuntur, mox Epiſcopi inſigniuntur, Act. 20.
℣. 17. Paulus advocabat Presbyteros; ſed hos poſtmodum ℣. 28. appel-

quibus

quitur, ut Epiſcopos ſic Tit. 1. ℣. 5. jubet oppidatim conſtitui Presbyteros, verſu autem 7. ubi officium & virtutes eorum deſcribit, eosdem nomine Epiſcopi complectitur. ſic Petrus, quos 1. c. 5. ℣. 1 *Presbyteros* vocabat, v. 2. ἐπισκοποῦντας appellat. Deinde ex inſcriptione Pauli, quâ Phil. 1. ℣. 1 Epiſcopis & Diaconis, qui erant Philippis, ſuam inſcripſit ſalutem, non omiſſurus Presbyteros, ſiquidem ab Epiſcopis fuiſſent diſtincti. Tandem ex promiſcua uſurpatione Poteſtatis, etiam Ordinandi. nam ut Timotheus, Epiſcopus Epheſinus, poteſtatem habebat imponendi manus, licet non cito, ſed prævio examine & inquiſitione, de candidati doctrina & moribus, 1. Tim. V. 22. ſic eandem poteſtatem participavit totum Presbyterium, dum illum ipſum Timotheum, per impoſitionem manuum ad miniſterium eccleſiaſticum initiavit & confirmavit, 1. Tim. 4. ℣. 14. In cujus rei aſſecurationem, multos poſſemus producere teſtes, nobis planè ὁμοψήφους, ſed in bona cauſa quatuor abunde erunt. Primus eſt Ambroſius, aſſerens: Non per omnia conveniunt ſcripta Apoſtolorum Ordinationi, quæ nunc in Eccleſia eſt: quia hæc inter ipſa primordia ſunt ſcripta. Nam & Timotheum, Epiſcopum à ſe creatum, *Paulus* Presbyterum vocat: quia primi *Presbyteri* Epiſcopi appellabantur, *Com.* ſuper c. 4. Epheſ. Secundus Lombardus: Apud Veteres idem Epiſcopi & *Presbyteri* fuerunt, l. 4. Sent. D. 24. lit. I. Tertius Georgius Caſſander: Convenit inter omnes, olim Apoſtolorum ætate, inter Epiſcopos & Presbyteros diſcrimen nullum fuiſſe, in Conſult. ad art. XIV. Aug. Confeſſ. p. 99. Quartus deniq; Eraſmus, qui intrepidè ſcribit in Opere bibl. Leoni X. dedicato: Antiquitus nihil intererat inter Presbyterum, Sacerdotem & Epiſcopum, ut & D. Hieronymus teſtatur, annot. in c. 4. Timoth. 1. idem inferius ſuper. ℣. 3. c. 5. *Pet. 1.* repetit, inquiens: *Presbyteros* Petrus hîc *Epiſcopos* vocat. Nondum enim increverat turba Sacerdotum, ſed quot erant Presbyteri, totidem erant *Epiſcopi*!

Concedere autem II. de jure conſuetudinario, non procul â ſeculô Apoſtolorum introducto, cujus introducendi occaſio commemoratur â B. Hieronymo, comment. ſuper 1. ad Tit: hiſce verbis: Idem olim *Presbyter*, qui & *Epiſcopus*, & antequam, diaboli inſtinctu, ſtudia partium in religione fierent, & diceretur in populis: *Ego* ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ; communi Presbyterorum conſiliô *Eccleſiæ* gubernabantur: Poſtquam verò unusquisq; eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus, ſuperponeretur *Cæteris*, ad quem omnis eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur. *Et* addit: ſicut ergò Presbyteri ſciunt, ſe, ex eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos, ita *Epiſcopi* no-

verint, ſe, magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate, Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere. Quid clarius ex hac Hieronymi ſententia, quàm Epiſcopos, ô divino, ſed humano Eccleſię jure, Presbyteris eſſe ſuperiores? Et quia Presbyteri re, procul dubio, diu deliberatâ, tandẽ ſervandi ordinis & tollendi ſchiſmatis causâ, in hujusmodi conſtitutionẽ conſenſerunt, jure, ad ſe divinitus parili lance pertinente, ceſſerunt, & ſolenni conventione Epiſcopis poteſtatem ſuper ſe permiſerunt, idq; annexâ Ordinationis licentiâ, tanquam ſigillô obſignatorio, ut nempè poſthac primi eſſent Epiſcopi, dehinc Presbyteri & *D*iaconi ſed non ſine indultu Epiſcopi, communiverunt. Hinc malè factum ab Aerio Presbytero, de quo Aug. de Hæreſ. c. 53. & Epiph. hæreſi 75. quod, re non amplius integrâ, & ob merum intereſſe privatum, ſchiſma excitare, toti Epiſcoporum choro litem intendere, & omnem differentiam inter Epiſcopum & Presbyterum potius tollere, quàm in εὐταξίᾳ, tam longo temporis tractu frequentata, acquieſcere voluerit. Leges enim etiam humanitus adinventæ, approbatæ & temporis præſcriptione conſtabilitæ, modo juri divino & naturali, atq; bonis moribus nihil detrahant, tolerandæ potius, quam abolendæ, ne vulnera ipsâ curatione reſcindantur, & commodum, quod indè capitur, puſillum; confuſio autem & Legum contemtus malum ſit & vitii plenum, monent omnes Interpp. cum Philoſopho l. 2. Pol. c. 6.

Dicimus III. providâ tamen circumſpectione cautum eſſe, ne Epiſcopi, facta hac ſpirituali conceſſione abuterentur, contemtius Presbyterium præ ſe haberent, aut nimis, nõ dicam, ſuperſtitiosè: ſed rigorose hoc jus Ordinandi ad ſe ſolos traherent, prorſus excluſis *P*resbyteris &c. ut Epiſcopo *P*resbyterum ordinante, alii *P*resbyteri eidẽ cum Epiſcopo manus imponerent, & actum iſtum concelebrarent, atq; eo ipſo jus ſuum antiquum, ſi non plenè, ſaltem per veſtigium quoddam repræſentarent. Sic enim habetur in jure Canonico: *P*resbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes *P*resbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas, juxta manus Epiſcopi, ſuper caput illius teneant, c. *P*resbyter, Diſt. 23. Ubi nota, quòd Gloſſator, ad præcedentem canonem, in quo jubentur omnes præſentes Epiſcopi caput novitii Epiſcopi attingere, obſervat, quærens: an quilibet iſtorum Epiſcoporum, qui caput novitii tangat, cum ordinet Epiſcopum? reſpondet autem, quòd nullus ſolus, ſed quilibet eorum conſecret eum. quia conſecrare ſit, cum alio ſacrare; ſicut trabe plures ferunt, ità quod nullus per ſe. Subſumimus nos: Ergò nec ſolus Epiſcopus, ſed & cæteri *P*resbyteri, qui caput novitii *P*resbyteri tangunt, conſecrabunt eum, ex eodem fundamento. quia conſecrare, ſit cum alio ſacrare, ſicut plures ferant trabem, ità quòd nullus per ſe. &c.

Liquet

Liquet autem ex his omnibus, Epiſcopos bonâ cum Conſcientiâ, à communione Ordinationis Presbyteros penitus arcere non poſſe.

Sed hæc pro *Presbyteris* potius, ſub papatu adhuc gementibus, dicta ſunto, quam pro Miniſtris Evangelicis. De quibus hoc porrò tenendum: Noſtrates hodiè Ordinationem non quidem floccipendere, aut planè intermittere, ſed tanquam Ritum, ab Apoſtolis uſurpatum, in ſuis etiam Eccleſiis exercere, nõ tamẽ ea niti, quaſi parte quadã eſſentiali miniſterii eccleſiaſtici, absq; qua nemo poſſit legitime obire ſuum officiũ. hanc enim præeminentiã ſola Vocatio ſibi vendicat. De utraq; audiatur, quid Chytræus ſcribat: Sciendũ, inquit, vocatos & electos voce Eccleſiæ fungi poſſe miniſteriô, etiam ſine ritu impoſitionis manuũ, & verè miniſtros eſſe Eccleſię poſſe *Docere* & Sacramẽta adminiſtrare, *Comm.* ſuper c. 29. Exod. Hinc in Norico etiam Territorio diu ſuſpenſus fuit rit⁹ iſte, a tempore Reformationis, donec ab Ampliſſimo Senatu Noribergenſi reſtitueretur, & in hac Univerſitate deinceps peragendus, anno 1583 inſtitueretur, quemadmodum hoc noſtra Ordinandorum Matricula accuratè docet. Præſtat ea de re aliquid audire ex literis, quas Dn. Martinus Hellingus, olim Paſtor Ægidianus, ad Dn. M. Georgium Sigelium, Paſtorem & Profeſſorem Altdorphinum perſcripſit, de dato 28 Nov. Anni 1592. Reverende Dn. Paſtor, amice cariſſime: Gravis adhortatio eſt, quâ utitur D. Apoſtolus *Paulus* 1. Tim. 4. Noli, inquit, negligere gratiam, quæ in Te eſt, quæ data eſt Tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii. Hâc neglecta, quidam ita ſunt inſenſati, & ordinis Apoſtolici contemtores, ut exiſtiment, ritum Ordinationis, quæ fit adhibitâ verâ nominis divini invocatione & manuum impoſitione, non eſſe neceſſarium, ſed inutilem ceremoniam, quæ poſſit omitti. Eſſent autem aliter, & reverentius de re tanta ſenſuri, ſi aliarum Eccleſiarum ſtatum conſiderarent accuratius. Pleriq; omnes volunt videri boni Lutherani; At quare in retinendo ritu hoc, ejus exemplum ſibi non proponunt imitandum? cur non amplectuntur pulcerrimam ceremoniam, quam nos vidimus, Lutherum ſanctè obſervaſſe? An Miniſtri Evangelici accedant ad ſuas functiones, ſicut Bubulci ad paſcenda ſua armẽta? Alia ſunt piorum judicia, quibus dulce admodùm eſt, ritum illum in noſtram Eccleſiã eſſe introductũ. Planè etiam confido, Ampliſſimum Senatorum Ordinem non permiſſurum, ut impoſterum aliqui pro ſuo libitu, Ordinationem publicam negligant. Hactenus Hellingus.

Licet itaq; Prædicantes Evangelici, uti vocant eos Romanenſes, â nullis Epiſcopis, nedum â Pontificiis, eſſent ordinati, modo ſalva exiſteret eorundem Vocatio, nihilominus veri forent & legitimi Verbi Miniſtri. Nam Ordinatio non eſt præcepti divini, nec de ſimplici & abſoluta neceſ-

ſitate,

ſitate. neutrum enim ex Scriptura probabitur: ſed eſt ritus, ab Apoſtolis adhibitus, & poſtmodum ab *E*ccleſia ſubindè repetitus, non, ut per eum Miniſter Verbi conſtitueretur, ſed pro ritè-vocato & conſtituto publicè declararetur, ſuffragante & approbante totâ *E*ccleſiâ, exequente verò *E*piſcopo, tanquam primariâ illius loci Eccleſiaſticâ Perſonâ, & mutuas operas conferente, præſente Presbyteriô. Nervosè non nemo in ſuo Syntagmate: Ordinatio ſive Impoſitio manuum certè nullos propriè creat miniſtros, ſed legitimè vocatos ſive electos, adhibitis precibus, mittit in ſui muneris poſſeſſionem, Tilenus part. 2. p. 254.

Dices: *E*rgone ritus ille hodiè naucifaciendus, aut prorſus è pomœrio noſtrarum *E*ccleſiarum profligandus? Reſpondeo, minimè gentium: ſed potius in omni *E*ccleſia, ob ſingularem εὐταξίαν & ſalutares ſuos uſus tamdiu retinendus, quamdiu commoda poteſt illius haberi copia. Nam pereat, quisquis tam piam conſuetudinem ſublatam cupiat! Quia verò copia hujuſmodi, ſub primordiis Reformationis evangelicæ, deficiebat: *E*piſcopi enim Pontificii rerum ſatagentes, recuſabant operam, & *C*andidatos miniſterii evangelici prius ordinare nolebant, quàm, abjectâ veritate evangelicâ, ad Romanæ *E*ccleſiæ confeſſionẽ redirent, quod ſalvâ Conſcientia præſtari minimè poterat: & tamen ne oves ſuis paſtoribus, auditores ſuis Doctoribus deſtituerentur, ideò his & aliis de cauſis, Presbyteri coacti ſunt, ut ipſi de Perſonis, ad miniſterium idoneis, tempeſtivè proſpicerent, & illis, præcedente Vocatione, per Ordinationem in *E*ccleſia docendi & diſpenſandi poteſtatem & autoritatem conferrent. Qua de re ſapienter admodum diſſerit B. noſter Lutherus in art. Schmal. parte 3. art. 10. in hunc modum: Si *E*piſcopi ſuô officiô rectè fungerentur, & curam *E*ccleſiæ ac *E*vangelii gererent, poſſet illis, nomine caritatis & tranquillitatis, non ex neceſſitate, permitti, ut nos & noſtros *C*oncionatores ordinarent & confirmarent, hâc tamen conditione, ut ſeponerentur omnes larvæ, præſtigiæ, deliramenta & ſpectra pompæ ethnicæ. Quia verò nec ſunt nec volunt eſſe veri *E*piſcopi, ſed politici Dynaſtæ ac Principes, qui nec concionantur & docent, nec baptizant, nec cœnam adminiſtrant, nec ullum opus & officium *E*ccleſiæ præſtant, ſed eos, qui, vocati, munus illud ſubeunt, proſequuntur & condemnant, profectò ipſorum culpâ *E*ccleſia non deſerenda, nec miniſtris ſpolianda eſt. Quapropter ſicut vetera exempla *E*ccleſiæ & Patrum nos docent, idoneos ad hoc officium ipſi ordinare debemus & volumus. Hactenus Lutherus.

*E*go coronidis loco hoc addo: Si Presbyteri *E*ccleſiæ Alexandrinæ officii ſui limites non excedebant, quando unum de ſuo numero eligerent, & illum ipſum in *E*piſcopum porrò ordinarent, ut indicat B. Hieronymus

in Epiſtola ad Evagrium; annon multò minus noſtri excedent, ſi Viros aptos in ſympresbyteros aut Diaconos, gradu â Presbyteris inferiores, ordĩaverint?

## V.

## Utrùm Miniſtris Evangelicis ſuæ Vocationis conſcientia ſolatio eſſe poſſit?

Semper deteſtatus ſum furorem iſtorum hominum, qui unquam ſtatuerunt, quemlibet Chriſtianum publicè in Eccleſia docendi ſumere ſibi poſſe licentiam, etiamſi ad tale officium minimè ſit vocatus ſive miſſus. Hæc enim manifeſta videbatur eſſe confuſio, è diametro oppoſita cõſtitutioni Apoſtolicæ, quâ juberemur, omnia in Eccleſia facere ordine & decenter, 1. Cor. 14. ℣. 33: E contrariò ad Cœlum ſuſtuli, & ambabus manibus amplexus ſum, Art. 14. Auguſt. Confeſſ. quo ſolenniſſimè decernitur, neminem in Eccleſia publicè docere debere, aut Sacramenta adminiſtrare, niſi ritè ſit vocatus!

Hoc enim congruit non ſolùm cum univerſali praxi omnium hominũ, inter quos nemo audet ullam adminiſtrare functionem publicam, citra deſtinationem & vocationem peculiarem. Quis enim ſuſcipiet Imperatoris, Regis, Ducis, Conſulis, Legati, quin imò infimi duntaxat Opilionis partes, niſi, illius muneris defungendi, præcedentem ſortitus ſit vocationem? & ſolum Dei miniſtrum in tam arduo, non dicã onere, ſed munere, carere iſthâc poſſe exiſtimabimus? Sed & prægnantes præterea continet rationes, propter quas adhiberi debeat omni modo. 1. ut ſic mandato divino obtemperetur, quod eſt: Nemo ſibi ſumat honorem, niſi qui vocatur â Deo, Heb. 5. ℣. 4. Deinde, exemplo Chriſti inſiſtatur, qui, licet verus eſſet Deus, tamen munus publicè docendi ſibi prius ſumere noluit, quàm â Patre ſuo cœleſti vocaretur & confirmaretur, Matt. 3. ℣. 17. Tertiò, primævæ Eccleſiæ conſuetudini mos geratur, quæ tum ab initio obtinuit, ut nemo non vocatus irreperet, ſed prius ederet, quis eſſet, â quo veniret, & quod jus in ovile Chriſti haberet? ſicut teſtatur Tertull. l. 4. adverſ. Marc. C. 23. Quartò, ut doctrina futuri Miniſtri minus ſuſpecta reddatur, ac ſi hauſta eſſet ab illis, qui â ſincera Religione alieniores: cujus contrarium facilè perſuaſurum ſit collatũ dextrè Vocantium teſtimonium. Et tandem, ut Conſcientia Docentis tranquilletur, & certa ſit, ſibi in miniſterio ſuo affore Dei gratiam, & fructum impenſi laboris ſucceſſurum; juxta illud ſcitum: Vocatio qualis, ſucceſſus talis: nec non Auditores etiam ſciant, ſe non ſuperventitium mercenarium: ſed verum & vocatum habere & audire Dei Legatum.

Utut autem Vocationem noſtrorum Miniſtrorum ſemper ratam judicavimus, & ità comparatam, ut quotquot, iſtâ præcedente, miniſterio eccleſiaſtico apud Nos nomen dedêre, non tantùm rectum ſtadium decurrerent,

 ſed.

ſed & aliquando cœleſtis retributionis ſolatium concipere poſſent auguſtiſſimum; Tamē Pontificii, pro implacabili ſuo odio, annituntur, nō ſolum Vocationē, ſed & totū eorū Miniſterium dubium reddere, illudq; periculoſum potius, quàm fructuoſum efficere, ob hanc potiſſimùm cauſam, quod à SOLIS Epiſcopis non ſint vocati. Nos enim inquit Joh. Cochlæus in judicio ſuo ſuper art. XIV. A. C. ritè vocatos dicimus, & intelligimus eos, qui ad ſacros Ordines à Catholico aliquo Epiſcopo admiſſi & legitime deputati ſacro deputantur miniſterio, & ejus autoritate ad publicum munus recipiuntur & inveſtiuntur.

Hinc ità argumentantur: Quicunq; à ſolo Epiſcopo ō ſunt vocati & ordinati, illi ō ſunt veri Eccleſiæ miniſtri, nec ſuæ adminiſtrationis ulla poſſunt habere conſolationē. At Miniſtri Lutherani ō ſunt &c. Er. De Minore res eſt liquida. Majorē autē ſequētib⁹ rationib⁹ pbat Bellarmin⁹ l. 1. de Cleric. C. 7.

1. Quia, ut Aron à ſolo Moſe fuit vocatus, abſq; conſenſu multitudinis, ſic meritò & Evangelici miniſtri vocabuntur. quia ſcriptum eſt: nemo ſumat ſibi honorem, niſi qui vocetur à Deo, ſicut Aaron.

2. Quia Chriſtus ipſe ſolus primùm Apoſtolos duodecim, deinde 72. diſcipulos elegit, ſine ullius multitudinis ſuffragio aut conſilio. Er. niſi idem modus ab Epiſcopis retineatur, mutatio introducetur, & primævum Chriſti inſtitutum violabitur.

3. Quia vocare paſtores, ad regimen pertinet: Regimen autem competit Epiſcopis, tanquā Gubernatorib⁹, ō ovibus, tanquam gubernādis. Er. &c.

4. Quia Apoſtoli vocabant & eligebant Epiſcopos, ne ſemel quidē poſtulatâ ſuffragante multitudine. quid impedit, quominus idem hodiè æquè fieri & poſſit & debeat?

5. Quia idem approbant Concilia, & inſuper accedunt S. Patrum autoritates, quibus aliis vocandi poteſtas derogatur, & ſolis Epiſcopis aſſignatur: â quibus ſeceſſionem facere, eſt manifeſtum ſchiſma in Eccleſia excitare, & turbas movere.

6. Quia iſte vocandi modus præ cæteris eſt accomodiſſim⁹, & proindè meritò Eccleſiæ manere debet commendatiſſim⁹, cum reliqui, vel ſolis incōmodis, quæ turmatim ſecum invehunt, redduntur abominabiles.

Quisquis igitur iſtô modô non eſt vocatus, nec pro vero Miniſtro agnoſcetur, nec futuræ retributionis ſolatiô erigetur!

Nos verò, his non obſtantibus, intrepidè aſſerimus, ut Miniſtrorum Evangelicorum vocatio eſt legitima, ſic ipſis ſummo eā eſſe debere ſolatio. Quod autem legitima, indè liquet. quia conformis eſt communi praxi Apoſtolorum, quæ meritò agnoſcitur tanquam norma ac regula, in ſimilibus negotiis obſervanda. Rectè Maldonatus: Apoſtoli vocantur Lux Mundi,

di, quia tàm Doctrinâ quàm Exemplo debeant illuminare univerſum Mundum, ſuper c. V Matt. p. 107. Jam verò praxis Apoſtolica docet, Apoſtolos, in eccleſia conſtituta & plantata, ſemper miniſtros Verbi vocâſſe cum Eccleſiæ ſuffragio, Act. 1. ℣. 23. c. 6. ℣. 3. c. 14. ℣. 23. c. 15. ℣. 22. 1. Cor. 16. ℣. 3. nec poteſt proferri diſſimile exẽplũ, ubi Apoſtoli, privatô arbitriô, vocaverint, & Eccleſiæ conſensũ vel ſepoſuerint, vel planè ſuſtulerint. Et in hoc imitantur eos noſtræ Eccleſiæ, dum in eodẽ negotio, ñ unus Ordo ſolus, ſed omnes Tres ſimul, hoc eſt, Paſtores, Magiſtratus & Populus in Vocationem conſentiunt, & idoneam perſonam, præcedente examine & inquiſitione de ipſius doctrina & vita, eligunt, ac functioni Eccleſiaſticæ præficiunt.

Et hoc quidem de jure divino, in perpetua evangelica praxi fundato: Fit quidem interdum, ut Vocatio alicubi in ſingularem aliquem Ordinem conferatur, &, vel ſoli Miniſterio, vel ſoli Magiſtratui, poteſtas vocandi Miniſtros deferatur: ſed hoc ipſi juri nihil derogat. quia per hoc cõſenſus reliquorum Ordinũ non excluditur, ſed præſupponitur: &, quod toti Eccleſiæ debebatur jure proprietatis, id aliquibus ordinibus permittitur, titulô ſpecialis conceſſionis; conceſſionis verò liberæ atq; ſpontaneæ: ubi, quod alienæ fidei committitur, nequaquã amittitur. Fit item, ut nominatio ſive præſentatio ſit penes unũ Ordinẽ, ſive eccleſiaſticum ſive politicum, quo itidẽ ipſi juri nihil decedit. quia per hoc ſimiliter reliqui Ordines non excluduntur, ſed illis approbationis aut reprobationis jus ſalvum relinquitur, quo deinceps in Præſentatum pro merito ſtatuunt, Vocationem illius, ſi dignus ſit, approbando; ſin indignus, re ſatis perſpectâ & demonſtratâ, repellendo.

Reperimus ejus conſuetudinis aliquod veſtigium apud B. Auguſtinum: Hic cum mentionem injeciſſet Epiſcopi Eccleſiæ Milevetanæ, quem Severus ibi ſucceſſorem ſibi apud Clericos tantummodò deſignaverat, & ille de Eradio, in ſuum Epiſcopatum Hipponenſem poſt mortem ſurrogando, cogitaret, improbat factum Severi; de ſuo autem propoſito ſic infit: Ne aliquis de me queratur, voluntatem meam in omnium veſtrûm notitiam perfero; cumq; Eradium ſimul nominâſſet & præſentem ſtitiſſet, acclamatũ eſt â populo vicies: Dignus & juſtus eſt; & quinquies: Benè meritus, benè dign9! T. 2. Oper. Epiſt. 110. p. 515. Quod ſucceſſu temporis Pontificii, ut videre eſt in Pontificali, in merum verterunt luſum. Nam confirmandus, intrans fores Chori, clamat & interrogat: Utrùm dignus ſit & juſtus, qui eligatur & confirmetur? Et ſtat quidam in angulo, qui reſpondet: Dignus eſt & juſtus. Sed hoc Deo & Hominibus illudere eſt!

Quia itaq; evicimus, Vocationẽ Miniſtrorum Evangelicorũ eſſe legitimam, & ſecundum jus Apoſtolicum inſtitutã (nam de jure duntaxat ſeu poteſtate Vocandi loquimur, non de omnibus vocationis huj9 actibus. nam hi

diſtinctis Ordinibus poſſunt competere ſingulatim, ut tamen vocatio omnibus relinquatur communis, atq; ita jus toti Eccleſiæ maneat integrum) cōſequens eſt, eos indè firmam etiam poſſe concipere conſolationem, dum nimirum certò ſciunt, ſe legitimè h.e. legibus & exemplis Apoſtolicis conformiter, eſſe vocatos: Quod autem ſic eſt comparatum, id æquū eſt, juſtū eſt, conſolatoriū eſt, & ſuo tempore, ſi ritè in eo perſiſtatur, remuneratoriū. Servabunt igitur in hac animam ſuam noſtri Miniſtri, & Vocationi dabunt honorem, ſecundum meritum ſuum. quis aliàs honorificabit exhonorantē officium ſuum?

Quod probè perpendens B. Lutherus, in hæc verba erumpit: Noſtra cōſolatio, qui ſumus in Miniſterio Verbi, hæc eſt, quòd habemus officium ſanctum & cœleſte, ad quod ritè vocati, gloriamur contra omnes portas inferorum. Et paulò poſt: Utinam omnes intelligerent dignitatem & vim iſtius ſanctæ & ſpiritualis jactantiæ de Vocatione, quæ primum valet ad gloriam Dei. Deinde ad honorem Miniſterii Eccleſiaſtici. Item, ad noſtram & populi ſalutem. Non enim ambimus per iſtam jactantiam aliquid eſſe in Mundo: non quærimus gloriam apud homines, non pecuniam, non voluptates, non favorem Mundi: Sed quia ſumus in Vocatione divina & opere Dei, & Populus maximè opus habet certitudine noſtræ Vocationis, ut ſciat, noſtrū verbum eſſe Dei Verbum, ideò ſuperbè eam jactamus; non tamen eſt vana, ſed ſanctisſima ſuperbia contra Diabolum & Mundum, & vera humilitas corā Deo, Tom. IV. Jen. Lat. f. IX.

Hoc ſaltem non inſuper habendum, ne quis temerē ſe ingerat, aut variis donis ac largitionibus aliisq; mediis incongruis Vocationem extorqueat: ſed tamdiu expectet, donec ab iis, quorum intereſt, & quibus cura Eccleſiæ eſt demandata, vocetur. Hic enim modus omnium eſt legitimiſſimus; ſi quis præter, imò contra ſuam voluntatem, per Superiorum ſuorum, ſive Eccleſiaſticorum ſive Secularium, autoritatem in officium Verbi vocetur, inquit Lutherus T. 2. Lat. Ien. f. 97. Et addit ibidem: Nec tamen & illi abjiciendi, qui piô ſtudiô animoſi, rerum, famæ & vitæ contemtores, ambiunt docere Verbum; imò ſunt commendandi, ut Apoſtolus 1. Tim. 3. ℣. 1. dicit: Fidelis ſermo, ſi quis Epiſcopatū DESIDERAT, bonum opus deſiderat. Quomodo vero abjiciendi? cum & Eſaias exploranti Domino & interroganti: quem mittam, & quis ibit nobis? operam ſuam ultrò obtulerit, & ex promto atq; alacri ſpiritu reſponderit: Hîc ſum, mitte me! Eſa. VI. 8.

Nunc ad rationes, quibus videbatur obtineri poſſe, jus vocandi ſolis deberi Epiſcopis, nec ad Miniſterium eſſe habilem, qui ab aliis, quàm ab Epiſcopis accerſatur.

Ad primam dicimus, illam incompetenter allegari. 1. quia Vocatio Aaronis

ronis ſit immediata,& miraculô etiam confirmata, Num.17.℣.5 jam autem notum eſt,ab immediata Vocatione,qualis fuit Aaronis,ad mediatam, qualis eſt miniſtrorum Evangelicorum, tanquam â ſpeciebus oppoſitis, vitioſè concludi.2.in æternum non demonſtrabitur, Aaronem â Moſe eſſe vocatū: renunciatum quidem eum â Moſe fuiſſe,ut ſummum Pontificem, lubentes concedimus;at non vocatum:quippe qui jam antè ab ipſo Deo immediatè fuerit vocatus. Jam verò â renunciatione & declaratione,ad ipſam Vocationem iterum inconvenienter proceditur. etenim vel *Præco* renuntiare poterit Conſulem,in cujus tamen Vocatione ne minimam quidem partem obtineat.3.particula,καθάπερ,non evincit,eundem ſpecialem modum elucere oportere in Miniſtris mediatè vocatis, qui eluxerit in Aarone,immediatè vocato:ſed ſufficere generalem,inq; eo ſitum,ut quemadmodum Aaron ſeipſum non ingeſſerit in ſummum Pontificatum,ſed expectârit, donec â Deo aſſumeretur,ſic ad illius exemplum, nec quosvis alios miniſtros ſeipſos ingerere:ſed Vocationem,â Deo futuram,ſimiliter expectare debere, memores iſtius Hieronymiani: Quemcunq; Dominus aſſumſerit,probatus eſt!

In ſecunda ratione exemplum iterum non quadrat,præſertim ſi abſolutè & ſimpliciter applicetur. Namq; hoc abſurdum cōtinuò ſecuturum eſſet, Miniſtros noſtros æquè â Chriſto vocandos eſſe immediatè, ac Apoſtoli & 70.Diſcipuli ab eo fuerint vocati.Igitur ſenſui genuino loci Johannitici erit inſiſtendum,qui is eſt: Chriſtus,quemadmodum ſibi ipſi no ſumſerit honorem,ſed â *Patre* ſuo miſſus & neceſſariis requiſitis inſtructus venerit in Mundum,quòd ſimili ratione,tanquam cum Patre parem omninò poteſtatem tenens,mittat ſuos Diſcipulos,tanquam θεοκλήτυς,in univerſum Mundum, & illis donis inſtruat, quibus ad tantum munus obeundum opus haberent. Atq; hic ſenſus germanus eſt,quem qui latius velit extendere,viderit, quas ampliationis ſuæ poſſit exhibere tabulas.Quòd autem nullam tum multitudinem Chriſtus in ſuffragium adhibuerit,factum eſt,partim,quòd talis multitudo tunc,in certum Eccleſiæ corpus collecta è tribus Hierarchiis,nondū extaret:partim, quòd ipſe ſummū jus vocandi teneret, juxta quod αὐτοκρατορικῶς præſtare ſolus,absq; aliorum adminiculo,facilè poſſet,quod infinitæ ſuæ ſapientiæ videbatur conſultiſſimum. Quorum utrumq; cum jam aliter in Eccleſia ( collecta & plantata ) vigeat,paulò inconſideratius ad hujus modi exemplum â Romaniſtis provocari exiſtimo.

In tertia ratione(qua ſtatuitur,regimen eſſe penes Epiſcopos, igitur & jus vocandi,quod ſit tanquam pars illius regiminis)negatur antecedens. nā regimen eccleſiaſticum,de jure divino non pertinet ad ſolos Epiſcopos, ſed ad totam Eccleſiam,hoc eſt, privilegia,bona, jura & alia beneficia,non ad hunc vel iſtum hominem,non ad hos vel iſtos cœtus ſunt alligata,ſed toti & uni-

ciarum, Toletus l. 1. inſtruct. ſacerd. c. 3. Bellarm. l. 1 de Cleric. c. 14. Poſſent forſitan hæc tolerari in illis, de conſuetudine humana. nam de divino jure res aliter ſe habebit: nec non de diſcrimine accidentali, quod circumſpectio ingenioſiorum ſucceſſu temporis in Eccleſiam invexit; non eſſentiali; in quo Epiſcopo cum Presbytero ex aſſe convenit. nomina quidem diſtincta ſunt, ſed res eædem, eademq; poteſtas: Niſi 2. ulterius progrederentur, &, ex eodem fundamento, totum Evangelicorum miniſterium vocarent in dubium, ad hunc modum argumentantes: Quicunq; ab Epiſcopis non ſunt ordinati, illi non ſunt legitimi Verbi miniſtri. Atqui Evangelici Prædicantes non ſunt ab Epiſcopis ordinati. Ergò &c.

Audiatur quæſo, quomodo Bellarminus argumentum hoc illuſtret, & quantum eidem tribuat, inquiens: Argumentum inde colligimus indiſſolubile. Eſt autem tale: Non ſunt veri Paſtores, qui non ſunt per manus impoſitionem â veris Paſtoribus ordinati. Id Calvinus ex Apoſtolorum conſuetudine, quæ nobis pro lege, ut ipſe ait, eſſe debet, rectiſſime colligit. Lutherus autem Zwinglius, Calvinus & cæteri, qui Paſtores primi apud ſuos habentur, non fuerunt per manus impoſitionem â veris paſtoribus ordinati. Nam ſi ſecus, â quibus obſecro? â ſuisne, an â noſtris? non à ſuis. ipſi enim ſunt primi. neq; enim ante Lutherum, ulli fuerunt Lutherani: neq; ante Zwinglium, Zwingliani, neq; ante Calvinum, Calviniſtæ, qui eos paſtores ordinare poſſent. Non item à noſtris. ſiquidem in Eccleſia catholica, unde receſſerunt, neq; Lutherus, neq; Zwinglius, neq; Calvinus Epiſcopi fuerunt, ſed tantùm Presbyteri. Porrò presbyteri, qui Calvino Miniſtri ſunt, non Paſtores, non habent Ordinandi poteſtatem; Quid facit, inquit, Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium, exceptâ ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat? Et Calvinus, Hieronymo ſubſcribens, paulò ante dixit, à SOLIS paſtoribus i. e. Epiſcopis miniſtros ordinari. l. 1. de Cler. c. 3. §. ſed quoniam &c.

Idcircò operæ pretium fuerit, huic negotio paulò accuratius immorari, donec rei veritas tandem eruatur, & miniſterii noſtri illibata integritas confirmetur & conſervetur.

Dicimus autem 1. de jure divino nos nullum agnoſcere diſcrimen inter Presbyterum, Verbo operantem, & inter Epiſcopum. nam talis Presbyter idem erat in Apoſtolica Eccleſia, quod Epiſcopus; & Epiſcopus idē, quod talis Presbyter. patet hoc non tantùm ex eo, quod Bellarminus, de iſto diſcrimine agens, ne unum quidem fundamentum poſſit adducere ex tota S. Scriptura, l. 1, de Cler. c. 14: Sed etiam 1. ex permutatione nominum qui modò Presbyteri dicuntur, mox Epiſcopi inſigniuntur, Act. 20. v. 17. Paulus advocabat Presbyteros; ſed hos poſtmodum ỽ. 28. illos,

quidem

quitur, ut Epiſcopos. ſic Tit. 1. ℣. 5. jubet oppidatim conſtitui Presbyteros; verſu autem 7. ubi officium & virtutes eorum deſcribit, eosdem nomine Epiſcopi complectitur. ſic Petrus, quos 1. c. 5. ℣. 1. *Presbyteros* vocat, v. 2. ἐπισκοποῦντας appellat. Deinde ex inſcriptione Pauli, quâ Phil. 1. ℣. 1 Epiſcopis & Diaconis, qui erant Philippis, ſuam inſcripſit ſalutem, non omiſſurus Presbyteros, ſiquidem ab Epiſcopis fuiſſent diſtincti. Tandem ex promiſcua uſurpatione Poteſtatis, etiam Ordinandi. nam ut Timotheus, Epiſcop⁹ Ephеſinus, poteſtatem habebat imponendi manus, licet non citò, ſed prævió examine & inquiſitione, de candidati doctrina & moribus, 1. Tim. V. 22. ſic eandem poteſtatem participavit totum Presbyterium, dum illum ipſum Timotheum, per impoſitionem manuum ad miniſterium eccleſiaſticum initiavit & confirmavit, 1. Tim. 4. ℣. 14. In cujus rei aſſecutationem, multos poſſemus producere teſtes, nobis planè ὁμοψήφους; ſed in bona cauſa quatuor abundè erunt. Primus eſt Ambroſius, aſſerens: Non per omnia conveniunt ſcripta Apoſtolorum Ordinationi, quæ nunc in Eccleſia eſt: quia hæc inter ipſa primordia ſunt ſcripta. Nam & Timotheum, Epiſcopum â ſe creatum, *P*aulus Presbyterum vocat: quia primi *P*resbyteri Epiſcopi appellabantur, *C*om. ſuper c. 4. Epheſ. Secundus Lombardus: Apud Veteres idem Epiſcopi & *P*resbyteri fuerunt, l. 4. Sent. D. 24. lit. I. Tertius Georgius Caſſander. *C*onvenit inter omnes, olim Apoſtolorum ætate, inter Epiſcopos & Presbyteros diſcrimen nullum fuiſſe, in Conſult. ad art. XIV. Aug. Confeſſ. p. *99*. Quartus deniq; Eraſmus, qui intrepidè ſcribit in Opere bibl. Leoni X. dedicato: Antiquitus nihil intererat inter Presbyterum, Sacerdotem & Epiſcopum, ut & D. Hieronymus teſtatur, annot. in c. 4. Timoth. 1. idem inferius ſuper. ℣. 3. c. 5. *P*et. 1. repetit, inquiens: *P*resbyteros Petrus hîc *E*piſcopos vocat. Nondum enim increverat turba Sacerdotum, ſed quot erant Presbyteri, totidem erant *E*piſcopi!

*C*oncedere autem II. de jure conſuetudinario, non procul â ſeculô Apoſtolorum introducto, cujus introducendi occaſio commemoratur â. B. Hieronymo, comment. ſuper 1. ad Tit: hiſce verbis: Idem olim *P*resbyter, qui & *E*piſcopus, & antequam, diaboli inſtinctu, ſtudia partium in religione fierent, & diceretur in populis: *E*go ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ; communi Presbyterorum conſiliô *E*ccleſiæ gubernabantur: Poſtquam verò unusquiſq; eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus, ſuperponeretur *C*æteris, ad quem omnis eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur. *E*t addit: ſicut ergò Presbyteri ſciunt, ſe, ex eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos, ita *E*piſcopi noverint,

verint, ſe, magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate, Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere. Quid clarius ex hac Hieronymi ſententia, quàm Epiſcopos, ô divino, ſed humano Eccleſię jure, Presbyteris eſſe ſuperiores? Et quia Presbyteri re, procul dubio, diu deliberatâ, tandē ſervandi ordinis & tollendi ſchiſmatis causâ, in hujusmodi conſtitutionē conſenſerunt, jure, ad ſe divinitus parili lance pertinente, ceſſerunt, & ſolenni conventione Epiſcopis poteſtatem ſuper ſe permiſerunt, idq; annexâ Ordinationis licentiâ, tanquam ſigillô obſignatorio, ut nempè poſthac primi eſſent Epiſcopi, dehinc Presbyteri & *D*iaconi, ſed non ſine indultu Epiſcopi, communiverunt. Hinc malè factum ab Aerio Presbytero, de quo Aug. de Hæreſ. c. 53. & Epiph. hæreſi 75. quod, re non amplius integrâ, & ob merum intereſſe privatum, ſchiſma excitare, toti Epiſcoporum choro litem intendere, & omnem differentiam inter Epiſcopum & Presbyterum potius tollere, quàm in *εὐταξίᾳ*, tam longo temporis tractu frequentata, acquieſcere voluerit. Leges enim etiam humanitus adinventæ, approbatæ & temporis præſcriptione conſtabilitæ, modò juri divino & naturali, atq; bonis moribus nihil detrahant, tolerandæ potius, quam abolendæ, ne vulnera ipsâ curatione reſcindantur, & commodum, quod inde capitur, puſillum; confuſio autem & Legum contemtus malum ſit & vitii plenum, monent omnes Interpp. cum Philoſopho l. 2. Pol. c. 6.

Dicimus III. providâ tamen circumſpectione cautum eſſe, ne Epiſcopi, facta hac ſpirituali conceſſione abuterentur, contemtius Presbyterium præ ſe haberent, aut nimis, nō dicam, ſuperſtitiosè: ſed rigorose hoc jus Ordinandi ad ſe ſolos traherent, prorſus excluſis *P*resbyteris &c. ut Epiſcopo *P*resbyterum ordinante, alii *P*resbyteri eidē cum Epiſcopo manus imponerent, & actum iſtum concelebrarent, atq; eo ipſo jus ſuum antiquum, ſi non plenè, ſaltem per veſtigium quoddam repræſentarent. Sic enim habetur in jure Canonico: *P*resbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput ejus tenente, etiam omnes *P*resbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas, juxta manus Epiſcopi, ſuper caput illius teneant, c. *P*resbyter, Diſt. 23. Ubi nota, quòd Gloſſator, ad præcedentem canonem, in quo jubentur omnes præſentes Epiſcopi caput novitii Epiſcopi attingere, obſervat, quærens: an quilibet iſtorum Epiſcoporum, qui caput novitii tangat, eum ordinet Epiſcopum? reſpondet autem, quòd nullus ſolus, ſed quilibet eorum conſecret eum. quia conſecrare ſit, cum alio ſacrare; ſicut trabē plures ferunt, ita quod nullus per ſe. Subſumimus nos: Ergo nec ſolus Epiſcopus, ſed & cæteri *P*resbyteri, qui caput novitii *P*resbyteri tangunt, conſecrabunt eum, ex eodem fundamento, quia conſecrare, eſt cum alio ſacrare, ſicut plures portant trabem, ita quod nullus per ſe. &c.

Liquet

Liquet autem ex his omnibus, Epiſcopo bonâ cum Conſcientiâ, à communione Ordinationis Presbyteros penitus arcere non poſſe.

Sed hæc pro *Presbyteris* potius, ſub papatu adhuc gementibus, dicta ſunto, quàm pro Miniſtris Evangelicis. De quibus hoc porrò tenendum: Noſtrates hodiè Ordinationem non quidem floccipendere, aut planè intermittere, ſed tanquam Ritum, ab Apoſtolis uſurpatum, in ſuis etiã Eccleſiis exercere, nõ tamẽ ea niti, quaſi parte quadã eſſentiali miniſterii eccleſiaſtici, absq; qua nemo poſſit legitimè obire ſuum officiũ. hanc enim præeminentiã ſola Vocatio ſibi vendicat. De utraq; audiatur, quid Chytræus ſcribat: Sciendũ, inquit, vocatos & electos voce Eccleſiæ fungi poſſe miniſteriô, etiam ſine ritu impoſitionis manuũ, & verè miniſtros eſſe Eccleſię poſſe *Docere* & Sacramẽta adminiſtrare, *Comm* ſuper c. 29. Exod. Hinc in Norico etiã Territorio diu ſuſpenſus fuit rit⁹ iſte, â tempore Reformationis, donec ab Ampliſſimo Senatu Noribergenſi reſtitueretur, & in hac Univerſitate deinceps peragendus, anno 1583 inſtitueretur, quemadmodum hoc noſtra Ordinandorum Matricula accuratè docet. Præſtat ea de re aliquid audire ex literis, quas Dn. Martinus Hellingus, olim Paſtor Ægidianus, ad Dn. M. Georgium Sigelium, Paſtorem & Profeſſorem Altdorphinum perſcripſit, de dato 28 Nov. Anni 1592. Reverende Dn. Paſtor, amice cariſſime: Gravis adhortatio eſt, quâ utitur D. Apoſtolus *Paulus* 1. Tim. 4. Noli, inquit, negligere gratiam, quæ in Te eſt, quæ data eſt Tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii. Hâc neglectâ, quidam ita ſunt inſenſati, & ordinis Apoſtolici contemtores, ut exiſtiment, ritum Ordinationis, quæ fit adhibitâ verâ nominis divini invocatione & manuum impoſitione, non eſſe neceſſarium, ſed inutilem ceremoniam, quæ poſſit omitti. Eſſent autem aliter, & reverentius de re tanta ſenſuri, ſi aliarum Eccleſiarum ſtatum conſiderarent accuratius. Pleriq; omnes volunt videri boni Lutherani; At quare in retinendo ritu hoc, ejus exemplum ſibi non proponunt imitandum? cur non amplectuntur pulcerrimam ceremoniam, quam nos vidimus, Lutherum ſanctè obſervaſſe? An Miniſtri Evangelici accedant ad ſuas functiones, ſicut Bubulci ad paſcenda ſua armẽta? Alia ſunt piorum judicia, quibus dulce admodùm eſt, ritum illum in noſtram Eccleſiã eſſe introductũ. Planè etiam confido, Ampliſſimum Senatorum Ordinem non permiſſurum, ut impoſterum aliqui pro ſuo libitu, Ordinationem publicam negligant. Hactenus Hellingus.

Licet itaq; Prædicantes Evangelici, uti vocant eos Romanenſes, â nullis Epiſcopis, nedum a Pontificiis, eſſent ordinati, modò ſalva exiſteret eorundem Vocatio, nihilominus veri forent & legitimi Verbi Miniſtri. Nam Ordinatio non eſt præcepti divini, nec de ſimplici & abſoluta neceſ-

ſitate,

in Epiſtola ad Evagrium; annon multò minus noſtri excedent, ſi Viros aptos in ſympresbyteros aut Diaconos, gradu â Preſbyteris inferiores, ordinaverint?

V.

## Utrùm Miniſtris Evangelicis ſuæ Vocationis conſcientia ſolatio eſſe poſſit?

Semper deteſtatus ſum furorem iſtorum hominum, qui unquam ſtatuerunt, quemlibet Chriſtianum publicè in Eccleſia docendi ſumere ſibi poſſe licentiam, etiamſi ad tale officium minimè ſit vocatus ſive miſſus. Hæc enim manifeſta videbatur eſſe confuſio, è diametro oppoſita cōſtitutioni Apoſtolicæ, quâ juberemur, omnia in Eccleſia facere ordine & decenter, 1. Cor. 14. ℣. 33: Econtrariò ad Cœlum ſuſtuli, & ambabus manibus amplexus ſum, Art. 14. Auguſt. Confeſſ. quo ſolenniſſimè decernitur, neminem in Eccleſia publicè docere debere, aut Sacramenta adminiſtrare, niſi ritè ſit vocatus!

Hoc enim congruit non ſolùm cum univerſali praxi omnium hominū, inter quos nemo audet ullam adminiſtrare functionem publicam, citra deſtinationem & vocationem peculiarem. Quis enim ſuſcipiet Imperatoris, Regis, Ducis, Conſulis, Legati, quin imò infimi duntaxat Opilionis partes, niſi, illius muneris defungendi, præcedentem ſortitus ſit vocationem? & ſolum *Dei* miniſtrum in tam arduo, non dicā onere, ſed munere, carere iſthâc poſſe exiſtimabimus? Sed & prægnantes præterea continet rationes, propter quas adhiberi debeat omni modo. 1. ut ſic mandato divino obtemperetur, quod eſt: Nemo ſibi ſumat honorem, niſi qui vocatur â Deo, Heb. 5. ℣. 4. Deinde, exemplo Chriſti inſiſtatur, qui, licet verus eſſet *Deus*, tamen munus publicè docendi ſibi prius ſumere noluit, quàm â Patre ſuo cœleſti vocaretur & confirmaretur, Matt. 3. ℣. 17. Tertiò, primævæ Eccleſiæ conſuetudini mos geratur, quæ tum ab initio obtinuit, ut nemo non vocatus irreperet, ſed prius ederet, quis eſſet, â quo veniret, & quod jus in ovile *Chriſti* haberet? ſicut teſtatur Tertull. l. 4. adverſ. Marc. C. 23. Quartò, ut doctrina futuri Miniſtri minus ſuſpecta reddatur, ac ſi hauſta eſſet ab illis, qui â ſincera Religione alieniores: cujus contrarium facilè perſuaſurum ſit collatū dextrè Vocantium teſtimonium. Et tandem, ut *Conſcientia* Docentis tranquilletur, & certa ſit, ſibi in miniſterio ſuo affore Dei gratiam, & fructum impenſi laboris ſucceſſurum; juxta illud ſcitum: Vocatio qualis, ſucceſſus talis: nec non Auditores etiam ſciant, ſe non ſuperventitium mercenarium: ſed verum & vocatum habere & audire Dei Legatum.

Utut autem Vocationem noſtrorum Miniſtrorum ſemper ratam judicavimus, & ità comparatam, ut quotquot, iſtâ præcedente, miniſterio eccleſiaſtico apud Nos nomen dedêre, non tantùm rectum ſtadium decurrerent,

ſed & aliquando cœleſtis retributionis ſolatium concipere poſſent anguſtiſſimum; Tamẽ Pontificii, pro implacabili ſuo odio, annituntur, nõ ſolam Vocationẽ, ſed & totũ eorũ Miniſterium dubium reddere, illudq́; periculoſum potius, quàm fructuoſum efficere, ob hanc potiſſimùm cauſam, quod à SOLIS Epiſcopis non ſint vocati. Nos enim inquit Joh. Cochlæus in judicio ſuo ſuper art. XIV. A. C. ritè-vocatos dicimus, & intelligimus eos, qui ad ſacros Ordines à Catholico aliquo Epiſcopo admiſſi & legitimè deputati, ſacro deputantur miniſterio, & ejus autoritate ad publicum munus recipiuntur & inveſtiuntur.

Hinc ità argumentantur: Quicunq́; à ſolo Epiſcopo õ ſunt vocati & ordinati, illi õ ſunt veri Eccleſiæ miniſtri, nec ſuæ adminiſtrationis ullã poſſunt habere conſolatiouẽ. At Miniſtri Lutherani õ ſunt &c. Er. De Minore res eſt liquida. Majorẽ autẽ ſequẽtib⁹ rationib⁹ ꝓbat Bellarmin⁹ l. 1. de Cleric. C. 7.

1. Quia, ut Aron à ſolo Moſe fuit vocatus, abſq́; conſenſu multitudinis, ſic meritò & Evangelici miniſtri vocabuntur. quia ſcriptum eſt. nemo ſumat ſibi honorem, niſi qui vocetur à Deo, ſicut Aaron.

2. Quia Chriſtus ipſe ſolus primùm Apoſtolos duodecim, deinde 72. diſcipulos elegit, ſine ullius multitudinis ſuffragio aut conſilio. Er. niſi idem modus ab Epiſcopis retineatur, mutatio introducetur, & primævum Chriſti inſtitutum violabitur.

3. Quia vocare paſtores, ad regimen pertinet: Regimen autem competit Epiſcopis. tanquã Gubernatorib⁹, õ ovibus. tanquam gubernãdis. Er. &c.

4. Quia Apoſtoli vocabant & eligebant Epiſcopos, ne ſemel quidẽ poſtulatã ſuffragante multitudine. quid impedit, quominus idem hodiè æquè fieri & poſſit & debeat?

5. Quia idem approbant Concilia, & inſuper accedunt S. Patrum autoritates, quibus aliis vocandi poteſtas derogatur, & ſolis Epiſcopis aſſignatur: à quibus ſeceſſionem facere, eſt manifeſtum ſchiſma in Eccleſia excitare, & turbas movere.

6. Quia iſte vocandi modus præ cæteris eſt accomodiſſim⁹, & proindè meritò Eccleſiæ manere debet cõmendatiſſim⁹, cum reliqui, vel ſolis incõmodis, quæ turmatim ſecum invehunt, reddantur abominabiles.

Quisquis igitur iſtô modô non eſt vocatus, nec pro vero Miniſtro agnoſcetur, nec futuræ retributionis ſolatiô erigetur!

Nos verò, his non obſtantibus, intrepidè aſſerimus, ut Miniſtrorum Evangelicorum vocatio eſt legitima, ſic ipſis ſummo eã eſſe debere ſolatio. Quod autem legitima, indè liquet. quia conformis eſt communi praxi Apoſtolorum, quæ meritò agnoſcitur tanquam norma ac regula, in ſimilibus negotiis obſervanda, Rectè Maldonatus: Apoſtoli vocantur Lux Mũdi,

di, quia tàm Doctrinâ, quàm EXEMPLO debeant illuminare univerſum Mundum, ſuper c. V. Matt. p. 107. Jam verò praxis Apoſtolica docet, Apoſtolos, in eccleſia conſtituta & plantata, ſemper miniſtros Verbi vocâſſe cum Eccleſiç ſuffragio, Act. 1. ℣. 23. c. 6. ℣. 3. c. 14. ℣. 23. c. 15. ℣. 22. 1. Cor. 16. ℣. 3. nec poteſt proferri diſſimile exẽplũ, ubi Apoſtoli, privatô arbitriô, vocaverint, & Eccleſiç conſensũ vel ſepoſuerint, vel planè ſuſtulerint. Et in hoc imitantur eos noſtræ Eccleſiæ, dum in eodẽ negotio, õ unus Ordo ſolus, ſed omnes Tres ſimul, hoc eſt, Paſtores, Magiſtratus & Populus in Vocationem conſentiunt, & idoneam perſonam præcedente examine & inquiſitione de ipſius doctrina & vita, eligunt, ac functioni Eccleſiaſticæ præficiunt.

Et hoc quidem de jure divino, in perpetua evangelica praxi fundato: Fit quidem interdum, ut Vocatio alicubi in ſingularem aliquem Ordinem conferatur, &, vel ſoli Miniſterio, vel ſoli Magiſtratui, poteſtas vocandi Miniſtros deferatur: ſed hoc ipſi juri nihil derogat. quia per hoc cõſenſus reliquorum Ordinũ non excluditur, ſed præſupponitur: &, quod toti Eccleſiæ debebatur jure proprietatis, id aliquibus ordinibus permittitur, titulô ſpecialis concesſionis; conceſſionis verò liberæ atq; ſpontaneæ: ubi, quod alienæ fidei committitur, nequaquã amittitur. Fit item, ut nominatio ſive præſentatio ſit penes unũ Ordinẽ, ſive eccleſiaſticum ſive politicum, quo itidẽ ipſi juri nihil decedit. quia per hoc ſimiliter reliqui Ordines non excluduntur, ſed illis approbationis aut reprobationis jus ſalvum relinquitur, quo deinceps in Præſentatum pro merito ſtatuunt, Vocationem illius, ſi dignus ſit, approbando; ſin indignus, re ſatis perſpecta & demonſtratâ, repellendo.

Reperimus ejus conſuetudinis aliquod veſtigium apud B. Auguſtinum: Hic cum mentionem injeciſſet Epiſcopi Eccleſiæ Milevetanæ, quem Severus ibi ſucceſſorem ſibi apud Clericos tantummodò deſignaverat, & ille de Eradio, in ſuum Epiſcopatum Hipponenſem poſt mortem ſurrogando, cogitaret, improbat factum Severi; de ſuo autem propoſito ſic infit: Ne aliquis de me queratur, voluntatem meam in omnium veſtrùm notitiam perfero; cumq; Eradium ſimul nominâſſet & præſentem ſtitiſſet, acclamatũ eſt â populo vicies: Dignus & juſtus eſt; & quinquies: Benè meritus, benè dign⁹! T. 2. Oper. Epiſt. 110. p. 515. Quod ſucceſſu temporis Pontificii, ut videre eſt in Pontificali, in merum verterunt luſum. Nam confirmandus, intrans fores Chori, clamat & interrogat: Utrùm dignus ſit & juſtus, qui eligatur & confirmetur? Et ſtat quidam in angulo, qui reſpondet: Dignus eſt & juſtus. Sed hoc Deo & Hominibus illudere eſt!

Quia itaq; evicimus, Vocationẽ Miniſtrorum Evangelicorũ eſſe legitimam, & ſecundum jus Apoſtolicum inſtitutã (nam de jure duntaxat ſeu poteſtate Vocandi loquimur, non de omnibus vocationis huj⁹ actibus. nam hi

diſtinctis Ordinibus poſſunt competere ſingulatim, ut tamen vocatio omnibus relinquatur communis, atq; ita jus toti Eccleſiæ maneat integrum ) cõſequens eſt, eos indè firmam etiam poſſe concipere conſolationem, dum nimirum certò ſciunt, ſe legitimè h.e. legibus & exemplis Apoſtolicis conformiter, eſſe vocatos: Quod autem ſic eſt comparatum, id æquũ eſt, juſtũ eſt, conſolatoriũ eſt, & ſuo tempore, ſi ritè in eo perſiſtatur, remuneratoriũ. Servabunt igitur in hac animam ſuam noſtri Miniſtri, & Vocationi dabunt honorem, ſecundum meritum ſuum. quis aliàs honorificabit exhonorantē officium ſuum?

Quod probè perpendens B. Lutherus, in hæc verba erumpit: Noſtra cõſolatio, qui ſumus in Miniſterio Verbi, hæc eſt, quòd habemus officium ſãctum & cœleſte, ad quod ritè vocati, gloriamur contra omnes portas inferorum. Et paulò poſt: Utinam omnes intelligerent dignitatem & vim iſtius ſanctæ & ſpiritualis jactantiæ de Vocatione, quæ primum valet ad gloriam Dei. Deinde ad honorem Miniſterii Eccleſiaſtici. Item, ad noſtram & populi ſalutem. Non enim ambimus per iſtam jactantiam aliquid eſſe in Mundo: non quærimus gloriam apud homines, non pecuniam, non voluptates, non favorem Mundi: Sed quia ſumus in Vocatione divina & opere Dei, & Populus maximè opus habet certitudine noſtræ Vocationis, ut ſciat, noſtrũ verbum eſſe Dei Verbum, ideò ſuperbè eam jactamus; non tamen eſt vana, ſed ſanctiſſima ſuperbia contra Diabolum & Mundum, & vera humilitas corã Deo, Tom. IV. Jen. Lat. f. IX.

Hoc ſaltem non inſuper habendum, ne quis temerè ſe ingerat, aut variis donis ac largitionibus aliisq; mediis incongruis Vocationem extorqueat: ſed tamdiu expectet, donec ab iis, quorum intereſt, & quibus cura Eccleſiæ eſt demandata, vocetur. Hic enim modus omnium eſt legitimiſſimus; ſi quis præter, imò contra ſuam voluntatem, per Superiorum ſuorum, ſive Eccleſiaſticorum ſive Secularium, autoritatem in officium Verbi vocetur, inquit Lutherus T. 2. Lat. Ien. f. 97. Et addit ibidem: Nec tamen & illi abjiciendi, qui piô ſtudiô animoſi, rerum, famæ & vitæ contemtores, ambiunt docere Verbum; imò ſunt commendandi, ut Apoſtolus 1. Tim. 3. ℣. 1. dicit: Fidelis ſermo, ſi quis Epiſcopatũ DESIDERAT, bonum opus deſiderat. Quomodo vero abjiciendi? cum & Eſaias exploranti Domino & interroganti: quem mittam, & quis ibit nobis? operam ſuam ultrò obtulerit, & ex promto atq; alacri ſpiritu reſponderit: Hîc ſum, mitte me! Eſa. VI. 8.

Nunc ad rationes, quibus videbatur obtineri poſſe, jus vocandi ſolis deberi Epiſcopis, nec ad Miniſterium eſſe habilem, qui ab aliis, quàm ab Epiſcopis accerſatur.

Ad primam dicimus, illam incompetenter allegari. 1. quia Vocatio Aaronis

ronis ſit immediata,& miraculô etiam confirmata.Num.17.℣.5 jam autem notum eſt,ab immediata Vocatione,qualis fuit Aaronis,ad mediatam,qualis eſt miniſtrorum Evangelicorum, tanquam â ſpeciebus oppoſitis,vitioſè concludi.2.in æternum non demonſtrabitur, Aaronem â Moſe eſſe vocatū: renunciatum quidem eum â Moſe fuiſſe,ut ſummum Pontificem, lubentes concedimus;at non vocatum:quippe qui jam antè ab ipſo Deo immediatè fuerit vocatus. Jam verò â renunciatione & declaratione,ad ipſam Vocationem iterum inconvenienter proceditur. etenim vel *Præco* renuntiare poterit Conſulem,in cujus tamen Vocatione ne minimam quidem partem obtineat.3.particula,καθάπερ,non evincit,eundem ſpecialem modum elucere oportere in Miniſtris mediatè vocatis, qui eluxerit in Aarone,immediatè vocato:ſed ſufficere generalem,inq; eo ſitum,ut quemadmodum Aaron ſeipſum non ingeſſerit in ſummum Pontificatum,ſed expectârit, donec â Deo aſſumeretur,ſic ad illius exemplum, nec quosvis alios miniſtros ſeipſos ingerere:ſed Vocationem,â Deo futuram,ſimiliter expectare debere, memores iſtius Hieronymiani:Quemcunq; Dominus aſſumſerit,probatus eſt!

In ſecunda ratione exemplum iterum non quadrat,præſertim ſi abſolutè & ſimpliciter applicetur. Namq; hoc abſurdum cōtinuò ſecuturum eſſet, Miniſtros noſtros æquè â Chriſto vocandos eſſe immediatè, ac Apoſtoli & 70.Diſcipuli ab eo fuerint vocati.Igitur ſenſui genuino loci Johannitici erit inſiſtendum,qui is eſt:Chriſtus,quemadmodum ſibi ipſi no ſumſerit honorem,ſed â *Patre* ſuo miſſus & neceſſariis requiſitis inſtructus venerit in Mundum,quòd ſimili ratione,tanquam cum Patre parem omninò poteſtatem tenens,mittat ſuos Diſcipulos,tanquam θεοκλήτους,in univerſum Mundum, & illis donis inſtruat, quibus ad tantum munus obeundum opus haberent. Atq; hic ſenſus germanus eſt,quem qui latius velit extendere,viderit, quas ampliationis ſuæ poſſit exhibere tabulas.Quòd autem nullam tum multitudinem Chriſtus in ſuffragium adhibuerit,factum eſt,partim,quòd talis multitudo tunc,in certum Eccleſiæ corpus collecta è tribus Hierarchiis,nondū extaret:partim, quòd ipſe ſummū jus vocandi teneret, juxta quod αὐτοκρατορικῶς præſtare ſolus,abſq; aliorum adminiculo,facilè poſſet,quod infinitæ ſuæ ſapientiæ videbatur conſultiſſimum. Quorum utrumq; cum jam aliter in Eccleſia ( collecta & plantata ) vigeat,paulò inconſideratius ad hujusmodi exemplum â Romaniſtis provocari exiſtimo.

In tertia ratione(qua ſtatuitur,regimen eſſe penes Epiſcopos, igitur & jus vocandi,quod ſit tanquam pars illius regiminis)negatur antecedens. nā regimen eccleſiaſticum,de jure divino non pertinet ad ſolos Epiſcopos, ſed ad totam Eccleſiam,hoc eſt, privilegia,bona, jura & alia beneficia,non ad hunc vel iſtum hominem,non ad hos vel iſtos cœtus ſunt alligata,ſed toti & uni-

universæ Eccleſiæ tradita atq; conceſſa, ad eum modum diſponenda & adminiſtranda, prout primævam Eccleſiam & ejus praxin habuerit præeuntem. Quia autem primæva Eccleſia, hoc eſt, Apoſtolica, & praxis illius hoc edocet, jus vocandi miniſtros non penes ſolos Epiſcopos conſtitiſſe: ſed tribus Hierarchiis fuiſſe commune, illi ad ſe ſolos id rapere vix auſi fuerint, niſi violationi ſeptimi præcepti obnoxii eſſe voluerint.

Nec juvat, quòd Laici ſint oves; Epiſcopi verò Paſtores. Ergò regi illis competere, non regere. Nam oves quidem ſunt, at non rationis expertes, quæ duci ſe permittant, quorſum etiam abducantur: ſed rationales, & mentis acumine præditæ, quæ jure ſuo uti cogitent, nec ſpontaneo motu quicquam de eo remiſſuri ſint, quod juſto poſſeſſionis titulô ad ſe pertinere noverint.

In quarta ratione aſſumitur pro vero, quod manifeſtè eſt falſum, nempè Apoſtolos ſine ullo ſuffragio multitudinis miſiſſe Epiſcopos & Eccleſiis præfeciſſe. Si enim in minoribus Eccleſiæ negotiis tam religioſi fuerunt Apoſtoli, ut neminem admiſerint, niſi ſciente & conſentiente populo, quemadmodum patet ex Act. 6. ℣. 5. 1. Cor. 16. ℣. 3. 2. Cor. 8. ℣. 19. quis dubitabit, eos multò religioſiores cautioresq; fuiſſe in conſtituendis Epiſcopis, tanquam negotio magis arduo, & ipſam animarum curam atq; ſalutem concernente? Et, annon Apoſtoli, accedente ſuffragio totius cœtus elegerunt Matthiam & Barſabam, ut alterutrum Deus aſſumeret? Act 1. ℣. 21. & 23. annon Paulus & Barnabas elegerunt Epiſcopos ſive Presbyteros, ad ſuffragia populi? Act. 14. nam ℣. 23. expreſsè habetur, quòd per ſuffragia (non igitur propria autoritate) per ſingulas Eccleſias Presbyteros creaverint. Ubi nota verbum χειροτονεῖν, quod cum primis reſpectum habet ad Populum, & propriè ſignificat ſuffragari & in ſignum ſui conſenſus manus attollere. Ergò conſtat indè Apoſtolos, in Eccleſiis jam fundatis & conſtitutis, ſuffragium Populi nequaquam excluſiſſe, ſed & probâſſe & obſervâſſe: Interim tamen non abnuimus, eosdem Apoſtolos ſæpè aliorſum miſiſſe Epiſcopos, jam ante à ſe, recepto more, domi vocatos & ordinatos, præcipuè ad exteros, quorum ſuffragia in hoc prius non requiſiverint: Verùm fiebat id 1. extraordinariè, propter curam Eccleſiæ univerſalem, quæ, juſſu Chriſti, illis incumbebat. 2. in Eccleſia nondum conſtituta, ſed demum conſtituenda. 3. tali tempore, quo gentiliſmus utramq; adhuc agebat paginam, & à gentilibus, primâ ſtatim vice, diſſidium potius, quàm ſuffragium expectandum fuiſſet: Quorum conſenſus tamen 4. etiam tum prodibat, quando miſſos hujuſmodi Epiſcopos recipiebant, & porrò pro Paſtoribus ſuis agnoſcebant atq; colebant. Sed hæ circumſtantiæ omnes modernis noſtris Vocationibus nihil præjudicant.

In quinta ad domeſticum provocatur teſtimonium, a Conciliis, quib⁹ communiter Epiſcopi præſidebant, deſumtum, qui, procul dubio, jus ſuum amplificare potius, quam imminuere ſatagebant: idq; primò ſub ſpecioſo prætextu. nam videntes *Epiſcopi*, populum factionibus exagitari, & unum in hunc, alterum in alium inclinare; illi diffidentes popularibus factionibus, id conſultius judicârunt, ſi præirent populo, & eum, quem ſuccedere in functione paſtorali optabant, eligerent & præſentarent. ſic Valerius Auguſtinum, ſic Auguſtinus *E*radium Hipponenſi *E*ccleſiæ nominavit & præſentavit. Hoc cum aliquoties non malè ceſſiſſet, & populus connixiſſet, res abiit in conſuetudinem, primùm annuente populô, deinde tolerante, donec inveterata conſuetudo legem effecit, in tantum, ut ſucceſſu temporis, invaleſcente Eccleſiaſticorum ambitione, populus penitus excluſus, & per peculiarem conſtitutionem totum Vocationis negotium in Epiſcopos devolutum ſit, in *C*an. 13. Concil. Laodiceni, & in *C*an. 3. Concil. 2. Nicæni. Sed hoc omne de factò ingruebat, olim aliter ſe res habebat, nimirum juxta *C*yprianum, plebs habebat maximè poteſtatem vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi: & de divina autoritate deſcendebat, ut ſacerdos, plebe præſente, ſub omniũ oculis deligeretur, & dignus atq; idoneus publicò judiciò ac teſtimoniò comprobaretur, l. 1. Ep. 4. Nota hîc, *C*yprianum non dicere, teſtimonium duntaxat Populo fuiſſe tributum: ſed ipſam poteſtatem, pro re nata, vel eligendi, vel recuſandi: item, non aliam agnoſcere vocationem juſtam atq; legitimam, niſi quę omniũ judiciô ac teſtimoniô eſſet examinata & approbata: deniq; ejus mutationem neq; ſuadere neq; probare, utpote, quæ non humana, ſed divina adeoque conſtante autoritate ad nos deſcenderit. Si enim ſunt acta DEI, tunc man⁹ noſtra pareat eis!

Quæ in ultima ratione, de commoditate aut incommoditate hujus vel illius Vocationis modi, commemorantur, noſtrum non eſt decidere. quia in iis, quæ ſunt juris divini non attendimus ad eventum accidentarium, qualis ille eſſe poſſit: ſed ad voluntatem & inſtituta divinorum autorum, ſecuri, ſi juxta eorum præſcripta inceſſerimus, ſive commoda, ſive incommoda poſtea ſubſequantur, ea tamen omnia Piis in bonum eſſe ceſſura. Valebit forſitan & hic illud Plautinum in *P*erſa Act. 4. ſc. 1. Ut quisque rem accurat ſuam principiò, ſic ei procedit pòſt denique. Si malus aut nequam, malè res vertunt, quas agit: ſin autem frugi eſt, eveniunt frugaliter!

An

## VII.

## An unquam quis, bonâ cum Conſcientiâ, poſſit obire Actus Eccleſiaſticos, niſi pri⁹ legitimè vocatus & ordinatus fuerit?

Dedit huic caſui occaſionem caſus præcedens, quo de ſolatio legitimæ Vocationis actum eſt. Si enim legitima Vocatio, & quæ eam ſequitur, Ordinatio, adferunt conſolationem, utiq; qui his deſtituitur, & conſolatione deſtitui, & actum illius, tanquam à cauſa depravata profectum, inquinari, atq; unà conſcientiam non leviter ſauciari oportebit. Sciendum autem eſt, nobis ſermonem eſſe, non de actibus privatis, ſubitaneis & extraordinariis, quales ſunt infantis baptizatio, quando periculum vitæ imminet, & Miniſter eccleſiaſticus in promtu haberi non poteſt; item Abſolutio, quando duobus ſolis peregrinantibus alter lethaliter ſauciatur, concidit & cum morte luctatur, prius autē abſolutionē inſtanter poſtulat, eamq; in Chriſti nomine pri⁹ impetrat, quàm expirat & vitam cum morte commutat. Hæc enim tam valida eſſe, â quocunq; etiam Chriſtiano præſtentur, quàm ſi ab ipſis Verbi Miniſtris præſtita eſſent, nobis prorſus eſt indubium. An verò *Cœnæ Dominicæ* etiam adminiſtratio huc ſpectet, ità ut ſi quis in extremis conſtitutus, ſe nequ quā poſſe ſalvari certò ſibi perſuadeat, niſi prius communicet, & ideò, ob abſentiam Miniſtri, ab alio ē præſentium numero, panem & vinum conſecrari, ſibique, cum conſcientiâ & morte conflictanti, exhiberi poſcat, actus iſte valeat, altioris forſitan eſt indaginis: videatur tamen Felix Bidembachius Dec. 3. Conſil. 5. p. 391: Sed potius de Actib⁹ publicis, tempeſtivis & ordinariis, quales ſunt: De ſuggeſtu Verbi prædicatio, in adytis Templorum: confitentiū abſolutio, & deniq; ſolennis Sacramentorum diſpenſatio; an hoſce quis exercere poſſit cum effectu & ex bona conſcientia, ſi Vocatio & Ordinatio deficiat?

Photiniani plenis velis abeunt in ſententiam affirmantem, eamq; ſequētibus argumentis fulcire conantur. I. *Cujus in deſcriptione Miniſtri apud Apoſtolum nulla fit mentio, illud ad eſſentiam Miniſtri haudquaquam pertinet. Nam definitio debet complecti cujuslibet rei, quam definit, eſſentialia. At in deſcriptione Miniſtri nulla fit mentio Vocationis. evolve enim ſedes locorum, quibus Epiſcopi ſeu miniſtri eccleſiaſtici definitio continetur, nimirū 1. Tim. 3. ℣. 2. & ſeqq. Tit. 1. ℣. 6. & ne γρὺ de Vocatione ejus deprehenderis. Ei. &c.*

II. Quicunq; non debent proferre aut proponere novam doctrinam, illi non opus habent peculiari Vocatione aut Ordinatione. At Miniſtri Evangelici

lici hoc tempore non debent proferre aut proponere novam doctrinam. Er. non opus habent peculiari vocatione aut ordinatione.

III. Quodcunq; eſt opus bonum, imò inter opera bona optimum, id quilibet Chriſtianus absq; peculiari vocatione & ordinatione poteſt peragere. creati enim ſumus ad opera bona, Eph. 2. ℣. 10. At docere Evangelium, & convertere aliquem à via erroris & iniquitatis, eſt opus bonum, imò inter bona optimum, utpote tale, quod poſſit ſalvare ipſas animas, Jac. 1. ℣. 21. Er. à quolibet Chriſtiano poteſt præſtari, etiam non interveniente peculiari vocatione aut ordinatione.

IV. Opus charitatis quilibet poteſt ſuſcipere. Docere alios & adminiſtrare Sacramenta, eſt opus charitatis: quo proximus à deviis revocatur & in viam regiam, quæ deducat ad vitam æternam, reflectitur; hoc verò operum charitatis præſtantiſſimum. Ergò illud quilibet poteſt ſuſcipere.

V. Si omnes Chriſtiani jam antè ſunt vocati & uncti ad ſacerdotium, non opus eſt novâ vocatione & ordinatione. At verum eſt prius, 1. Pet. 2. ℣. 9. Ergò & poſterius.

VI. Apollos & Philippus docuerunt publicè, & multum fructum fecerunt in Eccleſia Chriſti, etiamſi vocatos eos fuiſſe aut ordinatos, nuſpiam legatur; cur alii ſint deterioris conditionis, ut illis idem facere non ſit integrum? Et quis negabit, in Apoſtolica Eccleſia, etiam Laicis, citra peculiarem vocationem, conceſſum fuiſſe publicè docere, dummodò donis prophetandi fuerint inſtructi, cum Apoſtolus dicat: Poteſtis ſigillatim omnes Prophetare, ut omnes diſcant & omnes conſolationem accipiant, 1. Cor. 14. ℣. 31. quæ autem ratio, cur idem hodiernâ luce obtinere non debeat?

Eſt igitur conſtans Photinianorum mens, Miniſtrorum Vocationem & Ordinationem non eſſe neceſſariam, ſed quemlibet Chriſtianum publicè in Eccleſia docendi poſſe ſibi ſumere officium, licet peculiariter non ſit vocatus aut ordinatus, citra omnem conſcientiæ læſionem. Conſulantur ſuper hoc negotio ipſi autores, Oſtorodus in Inſtit. Germ. c. 32. Smalzius in Refutat. Theſium Franzii, p. 377. Volckelius in diſſol. nodi Gordii à Smiglecio nexi, p. 5. Nicolaides in Defenſ. tractatus Socini, de Eccleſia & miſſione Miniſtrorum, p. 138.

Evangelici contrà unanimiter ſtatuunt, neminem in Eccleſia chriſtiana, bonâ cum conſcientiâ, publicos & ordinarios actus adminiſtrare poſſe, niſi qui legitimè ſit vocatus & ordinatus; ordinatus quidem, tanquam iſthac ratione poteſtatem nactus, hujusmodi ſacra munia obeundi, quocunq; loco & tempore neceſſitas poſtulaverit: Vocatus verò, tanquam ad hunc potius, quàm ad alium locum alligatus & obligatus. Rationes illorum ſunt hæ:

I. Eſt mandatum divinum. Heb.V.4. Nemo ſibi ſumit honorem, niſi qui vocetur ſicut Aaron. Indè ſic concluditur: Quemadmodum Aaron munus ſacerdotale V. T. propriò auſu & privatâ autoritate aggreſſus non eſt, ſed expectavit vocationem divinam: ita nemo unquam honorem in officio Eccleſiaſtico ſibi arripere debet, niſi prius divinitùs ſit vocat⁹. ratio eſt, quia inter ſacerdotes V.T. & miniſtros novi, quantum quidem publici officii adminiſtrationem attinet, nulla prorſus intercedit diſcrepantia. At verum eſt prius, ex exemplo Aaronis, cui reliqua omnia meritò ſunt ſubjicienda, non opponenda. Ergò &c.

II. Exempla SS. Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolorum, nec non ipſius Chriſti, Exemplaris omnium ſecuriſſimi. Argumentum erit tale: Si nemo pientiſſimorum hominum, vel in V. vel in N. T. publicum docēdi munus adminiſtravit, niſi prius fuerit vocatus, ſequitur, quòd nec hodiè aliquis, ſine vocatione, illud adminiſtrare debeat. ratio eſt: quia illa exempla fuerunt repræſentatio quædam, quam ipſe Deus ratam habuerit, unde tutò noſtri actus iis poſſint æquari & confirmari, ſi Eidē velint eſſe accepti, & ſuo tempore ſucceſſus habere pares. At verū eſt prius, uti conſtat de Abrahamo, Gen.12.ỳ.7. de Melchiſedeco, c.14.ỳ.18. de Jacobo, Gen.35.ỳ.1. Prophetæ ubiq; ad divinā vocationē provocāt, Eſaias c.6.ỳ.9. Jeremias, c.1.ỳ.4. Oſeas c.1.ỳ.1. Similiter Apoſtoli: teſtantur id Epiſtolicæ ipſorū Inſcriptiones, & quando illi ipſi diſcipulos ſuos, donis neceſſariis inſtructos, ad mun⁹ docēdi ablegârunt, & Presbyteros cōſtituerunt, Act.14.ỳ.23. quin eosdē poteſtate eccleſiaſticâ inſtruxerūt, aliis etiā perſonis, ad miniſteriū aptis, hanc functionē demandandi, manusq; imponendi, Tit.1.ỳ.5. 1.Tim.5.ỳ.22. 2.Tim.2.ỳ.2. Et quid clarius de Chriſto, quàm quod de ſeipſo pronunciat: Qui miſit me Pater, ipſe teſtatus eſt de me? Joh.5.ỳ.37. Ergò &c.

III. Exempla primitivæ Eccleſiæ, quæ non quosvis ἐπερχομένους, pro animarum Curatoribus, admiſit: ſed pri⁹ miſſionis ſuæ certitudinem urſit & demonſtrari poſtulavit. memorandus locus eſt apud Tertull. l.4. cōtra Marc. c.23. Quisquis es, inquit, prius ede, qui ſis, & à quo venias, & quod in nos tibi jus! & apud Ambroſium comment. ſuper 4. Epheſ: *P*oſtquam omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conventicula conſtituta ſunt, & Rectores & cætera officia ſunt conſtituta in Eccleſiis, ut nullus de *C*lero auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium, quod ſibi creditum vel conceſſum non ſciret. Pertinet huc Canon Concilii *C*halcedonenſis. X: πάντα ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ ἐχειροτονήθη, δεῖ λειτουργεῖν, oportet unumquemq; in propria Eccleſia miniſtrare, ad quam ordinatus eſt.

IV. Momenta cauſarum, quæ tanta ſunt, ut, ob eorum ponderoſitatem, Vocatio nequaquam poſſit intermitti. Unum eſt, Dei ordinatio, qua

inſtituit & mandavit, ut non, niſi interveniente legitima Vocatione, Eccleſiæ ſuæ præficerentur Antiſtites. Ergò qui hanc negligere vellet, in ipſum Deum foret injurius. Alterum eſt, Auditorum ἀσφάλεια. nam, præſente Vocatione, confirmantur Auditores, ſe non vagantibus Terræ volucribus: ſed DEI Legatis eſſe commiſſos, quibus ut Deus, per Vocationem, quaſi votum ſuum tribuerit, ità paratus ſit, deinceps etiam in illis operari, & per Miniſterium eorum, converſionis & ſalutis opus in populo ſuo perficere. ideò orant cum Pſalmiſta: Manda DEUS virtuti tuæ, & confirma hoc, quod operatus es in nobis! Pſ. 69. ℣. 29. Tertium, ipſorum Docentium ſolatium. Videntes enim, quod DEO digni ſint viſi, quos in Vineam ſuam advocaret, ſolantur ſe de ejusdem præſentia & corroboratione, atq; confidunt, quod is ipſe ſalutaria organa eos effecturus ſit, ad Eccleſiæ ſuæ ædificationem, laboribus benedicturus, ne ſint inanes, & ab omnibus periculis vel eos liberaturus, vel ſic intentata mala temperaturus, ut in non aliud, niſi in bonum, ipſis poſſint cedere. Horum omnium ſpes decollat, ſi Vocatio deficiat!

Quæ in contrarium allata ſunt, facili negotio diluuntur. Nam in 1. negatur Minor, quòd Apoſtolus nullam fecerit mentionem vocationis eccleſiaſticæ in deſcriptione Epiſcopi. Nam utut illam, citra culpam, omninò potuiſſet prætermittere, quippe agens de internis qualitatibus Epiſcopi, quib⁹ à ſe & intra ſe deberet eſſe præditus, non de externis requiſitis. quæ aliũde & forinſec⁹ ipſi accederẽt, quale q.d etiã eſt Vocatio: tamẽ utrobiq; ſatis manifeſta facta eſt ejus indicina. In 1. Tim. 3. quidẽ: quando dicitur, Epiſcopatum petentem bonum opus deſiderare. quid autẽ eſt petere Epiſcopatum aliud, quàm operam Eccleſiæ deferre, & indè Vocationem ſuam patienter expectare? item, quando Epiſcopus jubetur eſſe inculpatus. quid autem eſt, inculpatum eſſe debere, quàm talem ſe Eccleſiæ declarare, ut illa vocandi potius, quàm repudiandi exindè habeat occaſionẽ? Ad Tit. 1. clàrius adhuc Vocatio exprimitur, quando ℣. 5. Titus jubetur opidatim Presbyteros conſtituere, i.e. vocare, & vocatos manuum impoſitione confirmare; quo minus autem in iſta conſtitutione à recto tramite aberraret Titus, placuit Paulo, verſu ſtatim 6 & ſeqq. annectere, quibus virtutibus oporteret eſſe præditos, qui tam dium munus, dignis modis, vellent ſuſcipere! Et annon hoc eſt, Vocationem potius oſtendere, quàm occulere?

II. In ſecunda ratione Major falſa eſt, quâ tamen potiſſimùm innititur tota hæc ſtructura Photiniana, nempè, quòd ille tantùm opus habeat Vocatione, qui novam revelet doctrinam: quin potius ſic ſtatuendum, neminẽ, ſive veterẽ ſive novam, auditam vel inauditã proponat doctrinam, in Miniſterio eccleſiaſtico tolerandum, niſi Vocationis ſuæ legitimæ intemeratas

ratas exhibeat tabulas. Et quid de Veteris Teſtamenti Sacerdotibus dicetur, qui tam arctè ad veterem doctrinam alligabantur, ut de addendo vel demendo ne minimum quidem tentare auderent, Deut. 12. ℣. 32. Eſa. 8. ℣. 20. & tamen nemini eorum prodire aut publicum munus ſubire licebat, niſi prius eſſet vocatus & inveſtitus? Lev. 21. Num. 18. Quid item de Diſcipulis Apoſtolorum N.T. Timotheo nimirum & Tito? qui ſimiliter ad veterẽ doctrinam aſtringebantur, 1. Tim. 4. ℣. 16. Tit. 2. ℣. 1. & tamen neutri docere erat integrum, abſq; præcedente vocatione ac inveſtitura, ut patet ex 2. Tim 1. ℣. 6. Tit. 1. ℣. 4. Stat igitur ſemper & ubiq; firma atq; immota clauſula Apoſtolica: Quomodo prædicabunt, ſi non fuerint miſſi? Rom. X. 15.

In ratione III. primò Major debet limitari in hunc modum: Quodcunq; eſt opus bonum, imò optimum, id quilibet Chriſtianus poteſt præſtare abſq; prævia peculiari vocatione, 1. ſi ad id aptus ſit. 2. ſi inevitabilis neceſſitas poſtulet. 3. ſi abſq; confuſione fiat. Nam multa ſunt opera bona, ut Legatione fungi, Magiſtratum gerere, Ducis bellici partes ſuſtinere, quæ tamen promiſcuè & ſine peculiari vocatione atq; inauguratione â quolibet Chriſtiano præſtari non poſſunt. Præmiſſâ autem iſtâ limitatione, negamus porrò Minorem, quòd munus Eccleſiaſticum ſit tale opus, ad quod quilibet Chriſtianus 1. aptus ſit. Nam interpretari Verbum Dei, quod non poſtrema muneris Eccleſiaſtici pars eſt, Lev. 10. ℣. 10. Tit. 1. ℣. 9. donum eſt, non omnibus communiter datum, ſed diſtributum ſecundum gratiam Spiritus, pro utilitate & ædificatione Eccleſiæ, 1. Cor. 12. ℣. 10. 11. Deinde, non eſt tale opꝰ, ad ꝙ inevitabilis neceſſitas quemlibet Chriſtianũ urgeat. Nam, Deo ſit gratia, ſemper adhuc reperiuntur viri idonei, qui poſſũt accerſi, &, præeũte Vocatione, Miniſterio præfici, ut extra ordinem vagari rarò neceſſe ſit: Quod ſi tamen interdum caſus accidat, ut publicus Verbi miniſter prorſus haberi non poſſit, ſed privatus Chriſtianus in auxilium ſit implorandus, qui in tanto defectũ, Docendo & Adminiſtrando, vicariam operam præſtet: tunc illa ipſa imploratio inſtar vocationis erit, nec dici poterit, talem vicariatum obiri ἀυτοκλήτως. Nec denique abſque confuſione fieret, ſi quilibet Chriſtianus munus Eccleſiaſticum promiſcuè exerceret: tunc enim auditoris & doctoris par foret ratio, inter paſtorem & ovem omnis penitus tolleretur diſcriminatio; quod Apoſtolo è Diametro oppoſitum, dicenti: num Omnes doctores? 1. Cor. 12. ℣. 29.

Quod autem in tertia hac ratione, de converſione aberrantis, additur, & illud cum prædicatione Evangelii connectitur, fit per manifeſtam confuſionem. Nam oppidò differunt inter ſe hæc duo, convertere aliquem ab errore, & prædicare Evangelium atq; adminiſtrare Sacramenta. priꝰ quilibet pro virili ſua, etiam privatim, facere debet & poteſt, Galat. 6. ℣. 1.

1. Theſſ.

1. Theſſ. V. 11. poſterius, ( publicè & ordinariè ) non niſi vocatus: Probetur prius, & ſic miniſtret, ait Paulus, 1. Tim. 3. ℣. 10.

Quod in IV. dicitur, ejusq; Majore, Opera charitatis à quolibet poſſe ſuſcipi, eatenus verum eſt, ſi opera iſta omnibus ſint communia, & non diſtinctis Ordinibus peculiariter aſſignata, aliàs confuſio metuenda, ſi modus præſcriptus violetur, & promiſcuè omnibus tribuatur, quod tamen peculiari Ordini erat deſtinatum. Nunc ad Minorem: Docere Verbum & adminiſtrare Sacramenta publicè, eſt certè bonum opus, ſed diſtincto Ordini, nimirum Eccleſiaſtico, peculiariter deputatum: quod abſque Vocatione nemo involare auſus fuerit, niſi modum ejus capeſſendi, in Verbo præſcriptum, violare, & terram Cœlo turpiter miſcere voluerit.

Quinta ludit ambiguitate Vocationis. Nam duplex in Scriptura nobis proponitur Vocatio: Una poteſt dici generalis, quâ omnes, quotquot baptizantur, per iſtum ritum ad ſacerdotium ſpirituale vocantur, ut offerant Deo hoſtias ſpirituales, Rom. 12. ℣. 1. Heb. 13. ℣. 15: Altera ſpecialis, quâ Chriſtus in opus Miniſterii ſui, alios vocat Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas, alios *Doctores* & *Paſtores*, Eph. 4. ℣. 11. Hæc erant explicanda, & neutra Vocatio alteri opponenda, ſed invicem ſubordinandæ, cum hoc tamen diſcrimine, ut generalis, ad Chriſtianiſmum; ſpecialis, ad Miniſterium referretur: illa, omni ſexui tribueretur; hæc, ordinariè ſolummodò maſculino: de illa, doceretur, quod citra periculum aſſumi poſſet; de hac verò, quòd non niſi cum periculo aliquo gravioris judicii, dum miniſterio Præpoſitos non tantùm pro ſe rationem reddere oporteret, ſed & pro omnibus, qui curæ ipſorum fuiſſent commiſſi, Hebræor. 13. ℣. 17.

Quod ultimam concernit rationem, I. libenter concedimus, Eccleſiam primævam, & jam recens plantandam, in diſperſionibus ſuis quandoque totam evangeliſâſſe, ut conſtat ex Actis c. 8. ℣. 4. alios privatim, qui chriſtianam religionem utcunque imbibiſſent; alios etiam publicè, qui uberiores pofectus feciſſent, & donis miraculoſis inſtructi fuiſſent. Sciendum autem quod hæc ipſa donorum collatio, quam temporis ratio & *Eccleſiæ* ſtatus tum poſtulabat, fuerit quaſi quædam Vocatio ( immediata videlicet ) & impetus divinus ad docendum, de illo, in cujus nomine acceperant dona miraculoſa. non utique in privatum uſum conferebantur illhæc dona, ſed, ut per ea Eccleſia ædificaretur, & Chriſtianiſmus felicius propagaretur. Si adhuc hodie ejusmodi dona pluribus conferrentur, poſſent itidem plures illi docere: ceſſante autem iſta collatione divinâ extraordinariâ, expedit, quemlibet expectare, donec legitimè vocetur, ne

προσβολῇ quaſi ſuâ turbet ordinem, in Eccleſia jam plantata & plenè conſtituta vigentem.

Locus 1. Cor, 14. ℣. 31. hoc tantùm evincit, quòd donum prophetandi, tum plurimis apud Corinthios fuerit communicatum, ideò monet Apoſtolus, bonæ ſcævæ & ordinis gratiâ, ut ſi tale quid obtingat, & revelatio alicui facta ſit vel ſub ipſa Concione, tunc prior concionator paulisper ſubſiſtat, & alteri ſpatium relinquat ad ſuam prophetiam manifeſtandam, & â reliquis rectius percipiendam: At hoc pro Vocatione potius, quàm contra eam. Cui enim Deus aliquid ſic revelavit, annon per hanc revelationem eum traxit, vocavit & miſit ad intimandum cæteris, quid in bonum publicum ipſi ſuggeſſiſſet?

Quod tandem de Apollo & Philippo annectitur, illos deſtitutos fuiſſe vocatione, & tamen docuiſſe, non videtur è tripode eſſe prolatum. Philippus namque, expreſsè nominatur unus de Septem, Act. 21. ℣. 8. at hi ab Apoſtolis leguntur vocati, Act. 6. ℣. 5. Apollo, dicitur edoctus viam Domini, Act. 18. ℣. 24. & à Paulo, in informanda Eccleſia Corinthiaca, pro Collega aſcitus, 1. Cor. 3. ℣. 6. & 4. c. ℣. 6. An vero hoc non κλῆσιν potius, quàm ἄκλησιν inferat, æquus lector judicet.

Concludimus igitur hunc *Caſum* verbis B. Lutheri, imis ſenſibus figendis: Non eſt contemnenda Vocatio. neque enim ſatis eſt, habere Verbum & puram doctrinam: oportet etiam, ut Vocatio ſit certa; ſine qua qui ingreditur, ad mactandum & perdendum venit. Nunquam enim Deus fortunat laborem eorum, qui non ſunt vocati, & quamquam quædam ſalutaria afferant, tamen nihil ædificant, Tom. IV. Jen. Lat. in cap. 1. Gal. p. 8. fac. B.

## *IIX.*

## Utrùm Miniſtri Eccleſiæ, bona cum conſcientia, poſſint ſe ſubjicere cenſuræ ſeculari?

Valdè delicati ſunt Pontificiorum Clerici, ut de nullo jure, ſive divino ſive humano, ſuper ſe ferre velint jurisdictionem Magiſtratus politici: quin immaniter peccare aſſeverent, ſi quis eorũ poteſtati ſeculari ſe ſubjiciat, ſive id fiat in cauſis *Eccleſiaſticis*, ſive Civilib⁹, aut etiam in Criminalib⁹, per C. ſi diligenti. de For. compet. Audiantur ampullæ Bellarmini inquientis, Clericos non ſolô privilegiô Principũ, ſed etiam decretis ſumorũ Pontificũ, & q; majus eſt, divino jure exemtos fuiſſe judiciô Magiſtratuũ temporaliũ, ac per hoc exemptos fuiſſe, antequam Principum privilegio eximerentur,

rentur, T. 7. Oper. c. 34. de *Excuſat.* Barclaii. Quod ſi verum eſt, nemo miniſtrorum Eccleſiaſticorum, ſalvâ cum conſcientiâ, ſe poterit ſubjicere cenſuræ ſeculari. quia enormiter peccare, & contra jus divinum aliquid attentare, atq; ſimul bonam conſcientiam conſervare, non poſſunt ſimul ſubſiſtere. Sed audiamus rationes illorum:

I. Quia ſcriptum eſt, Pſal. 104. Nolite tangere Chriſtos meos, quod ità interpretatur Baldus in c. Clericus. de pac. tenend. Poteſtates laicæ nolite homines conſecratos ullo modo vobis ſubjicere.

2. Quia Matth. 17. Chriſtus filios Regum liberos pronunciavit. Quis autem, juſtiore titulo, merebitur nomen filiorum Regis, quàm Clerici? quos Chriſtus, Rex Regum, peculiari ratione ſibi ſanctificavit, & in commune miniſterium aſſociavit!

III. Quia Pſalmiſta de Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus vaticinatur, Pſ. 44. quòd Principes terrarum eos conſtituturus ſit. Utut autem fortè Principatus iſte ſpiritualis dicatur, tamẽ verus eſt *Principatus*, & temporali Principatu longè nobilior. Quomodo igitur ei ſubjectus?

IV. Quia *Sacerdotes* & omnes Clerici, jam ante habent ſuum *Principem* ſpiritualem, â quo regantur in ſpiritualibus & temporalibus. *Er.* nullo modo fieri poteſt, ut regantur â Principe corporali, niſi in temporalibus ſervire velint duobus *Dominis*, quod, vel Chriſto teſte, impoſſibile futurum eſt, Matt. 6. ℣. 24.

V. Quia abſurdum foret, ut ovis *Paſtorem* ſuum quocunq; modò judicare præſumeret. jam verò Principes ſeculares ſunt oves; at Clerici paſtores. Er. &c Itaq; non ſine magna laude refert Ruffinus l. 10. hiſtor. c. 2. & poſt eum B. Gregorius l. 4. Ep. 45. vocem illam Conſtantini ad Epiſcopos: Vos Dii eſtis, â Summo DEO conſtituti, æquum autem non eſt, ut homo judicet DEOS!

VI. Quia eò aliorum etiam Imperatorum Conſtitutiones collineant. Nam eximit Juſtinianus Clericos & Monachos â ſeculari judicio, in Novellis 79. 83. & 123: quanquam non eximit in cauſis criminalibus, ſed in civilibus tantùm, in criminalibus autem vult â *Prætore* cognoſci cauſam: non tamen condemnari Clericum, niſi prius ab Epiſcopo fuerit degradatus: At nihilominus lex Canonica ſimpliciter eximit Clericos, in omnibus cauſis, tum civilibus, tum criminalibus, ut perſpicuum eſt ex Epiſtola Caii Papæ ad Felicem Epiſcopum. item, ex Ep. 2. Marcellini, & ex Lib. 11. Regiſtri S. Gregorii, ep. 54. ad Johan. *Defenſorem.* Debet autem lex civilis cedere legi canonicæ, cùm poſſit ſummus Pontifex Imperatori præcipere, in iis præſertim, quæ ad Eccleſiam pertinent.

Talia

Talia & hujus farinæ plura, reperiuntur hinc inde apud Bellarminum, hujus quidem ponderis, non tamen validiora, præcipuè vero l. 1. de Clericis c. 28. & c. 3. c. 33. c. 34. adv. Barclai.

Nos autem, ut optima quæq; de Magiſtratu Chriſtiano ſperamus, illũ nimirum, fideles Verbi miniſtros in pretio habiturum: ad leviores tranſgreſſiunculas, in honorem Miniſterii, quandoq; connixurum: ut dignitas ſacerdotalis conſervetur, & contemtus atq; ſcandala evitentur, non cuncta ad amuſſim diſtricturum: exemptionem fori civilis in nonnullis indulturũ; in Civilibus etiam cauſis, Conſiſtorialium potius, quàm Provincialium cognitionem & deciſionem admiſſurum, & in his atq; ſimilibus, liberam manum vel ampliandi favorem, vel minuendi, vel ſi rerum circumſtantiæ ita postulent, prorſus revocandi, retenturũ eſſe &c. Ità firmiter ſtatuimus, eidẽ Magiſtratui jus ſuum neq; derogandum, neq; imminuendum, multò minus Clericos ab ejus poteſtate eximendos: ſed permittendum potius, ut in civilibus non tantùm & criminalibus: ſed & eccleſiaſticis eorum cauſis (debitô tamen modô) cognoſcat, & tam directivam, quàm coactivam poteſtatem, pro re nata, adhibeat, h. e., ut apertius loquamur, Miniſtris cum imperio præcipiat, ut officium ſuum, juxta præſcriptum Verbi divini, obeant, aut, ſi nolint, in ordinem redigat, ut ad honeſtas actiones & vitam inculpatam ſe accommodent, aut, ſi nolint, coërceat; ut à ſeditioſis concionibus abſtineant, aut, ſi nolint, removeat; ut flagitioſi & ſcandaloſi eſſe deſinant, aut, ſi nolint, promeritas pœnas exigat; nec eſſe, cur in tali caſu ullus Miniſter difficilem ſe præbeat, aut ſecularem cenſuram refugiat, aut Conſcientiæ ſuæ inquietudinẽ alleget, cum nihil hîc committatur, niſi quod requirat:

1. Vel ipſa Verbi divini Autoritas, Rom. 13. ỿ. 1. Omnis anima Poteſtatibus Supereminentibus eſto ſubjecta. Argumentum erit: Quicunq; eſt anima, i. e. homo (nam anima συνεκδοχικῶς pro homine ponitur) debet eſſe ſubditus poteſtatibus ſuis ſupereminentibus.. Omnes Clerici ſunt anima, id eſt, homines. Er. omnes Clerici debent eſſe ſubditi poteſtatibus ſuis ſupereminentibus. Major eſt Apoſtoli, & tam univerſalis, ut neminem excipiat à ſubjectione, ne quidem Apoſtolos, Evangeliſtas aut Prophetas, teſte Chryſoſtomô, inquiente: Omnis anima, ſcriptum eſt, quaſi dicatur; etiamſi Apoſtolus, etiamſi Evangeliſta, etiamſi Propheta, vel alius quivis fuerit. Subjectio enim iſta non evertit Pietatem, Com. in 13. Rom. Quod etiam agnoſcens Bernhardus, de iſto loco ſic ſcribit ad Archiepiſcopum quendam: Omnis anima &c. Si omnis, ergò & veſtra. Quis enim vos excipit ab Univerſitate? ſi quis tentat excipere; conatur decipere. Minor per ſe claret.

Bellarminus adverſus claſſicum hunc locum tria excipit. 1. omnem hominem.

hominem debere eſſe ſubditum poteſtati, ſe ſuperiori. Habetur enim in fontibus, ὑπερεχούσαις. At ſecularis poteſtas non eſt ſuperior ſpirituali. Ergò ſpirituales perſonæ, quales ſunt Clerici, non tenentur eſſe ſubditæ poteſtati ſeculari. 2. *Paulum* generaliter loqui, & velle, ut quisq; ſuo Superiori obediat, laicus laico, eccleſiaſticus eccleſiaſtico. 3. Etiam Clericos Secularibus poteſtatibus, quarum regimine, pace & tranquillitate fruantur, debere eſſe ſubditos, ſed in certis Caſibus, cùm nimirum leges earum non ſint contrariæ canonibus ſacris, & cùm de iisdem rebus nulla exſtet canonica diſpoſitio, deniq; quoad directionem, non quoad coactionem.

Reſpondeo ad primam exceptionem, Minorem illimitatè ſic poſitam eſſe falſam. Nam Magiſtratus Politicus, etiam intra Eccleſiæ membra relatus, præcedit Clericos in ordine & honore, non ſequitur eos, quemadmodum Antonius Walæus p. 2. de Officio Miniſtrorum, pag. 53. illud fusè probat tam ex Novi, quàm V. T. praxi. Quando autem à nonnullis Theologis aſſeritur, Miniſterium eccleſiaſticum dignius eſſe officiò civili, id cum certa reſtrictione eſt intelligendum, absq; præjudicio προεδρίας civilis. Nam certum eſt, illud, DIGNIUS, referri oportere non ad externam aliquam præcellentiam, quâ æquiparare ſe debeant Miniſtri Magiſtratui ſuo, nedum præferre. Nam Miniſtris Eccleſiæ non ſolùm majorem honorem non competere, quàm Magiſtratui, ſed ne quidem parem, conſtanter docemus: ſed ad Objectum & Finem, juxta quæ, ab iſtis Theologis, conſideratio & comparatio inſtituitur. Illi enim diſparitatem metiuntur ab impari dignitate Objecti & Finis, & dicunt, cum Objectum Miniſterii eccleſiaſtici ſit Evangelium, quod pacem ſpiritualem & internam progeneret, nempè Conſcientiæ: & Finis illius ſit, ſalus æterna &c.. Regni contrà politici objectum ſit Ordo, qui externam pacem & tranquillitatem procuret; Finis autem ſalus populi, quæ intra hujus vitæ limites duntaxat ſe contineat, nec per ſe, ad futuram usq;, aſpiret, ideò, hoc reſpectu, eccleſiaſticam adminiſtrationem digniorem eſſe civili. Indè verò concludere, eccleſiaſticum Virum, in civili conſortio, quoad præcedentiam & honorem externum ſuperiori ſuo Magiſtratui eſſe præponendum, ne per ſomnum quidem illis in mentem venit. Exemplô res fiet clarior: Eſt cœtus quidam chriſtianus in Turcia, qui incorruptum habet miniſterium, & Antiſtitem vigilantiſſimum. Hic Antiſtes cum ſuo Miniſterio dignior eſt, quàm Turcicus Imperator cum omnibus ſuis Satrapis. nam habet Evangelium, &, ſecundum illud, pacem internam, & ſuâ doctrinâ novit promovere homines ad vitam æternam; quorum utroq; deſtituitur Imperator: An verò concludes Tu inde; Antiſtitem iſtum, cum ſuo Clero, in honore civili præcedere debere Turcicum Imperatorem, aut eo eſſe ſuperiorem, aut obſervantiam atq; obedientiam illi jure detrectare

poſſe? inſanies, & niſi deſtiteris, totum iſtum cœtum cum ſuo Antiſtite extremo periculo objicies. Quod æquè metuendum, ſi Chriſtiano Magiſtratui, de ſua præeminentia è Scripturis probè informato, clavam extorquere, & illi ſuperioritatem è manibus temerè velles eripere. Tantum igitur abeſt, ut excellentia ordinis aut dignitatis Spiritualis, ex conſideratione præſtantiæ ſive finis, ſive objecti ſui, aliquam inferat præcellentiā civilis honoris aut autoritatis ſuper eos, qui in Politico regimine Superiores conſtituti ſunt, ut potius, quò quis in ſpiritualibus magis eminet, eò humilius ſe gerat, etiā quoad obedientiam, ſecularibus Poteſtatibus, debitam, & oblatam prioritatem non tam arripiat, quàm manibus pedibusq; â ſe amoveat.

Ad ſecundam Exceptionem dico, in ea iterum falſum eſſe, Paulū h. l. generaliter loqui, & utramq; poteſtatē includere i.e. mandare, ut laicus laico, eccleſiaſticus eccleſiaſtico obediat. nā deſcriptio hujus poteſtatis ità ab Apoſtolo concepta eſt, ut eccleſiaſticæ nullo modo cōgruat, nempè, quod gladiū portet ō ſine cauſa: quod ſit Dei miniſter & vindex in irā: quod tributa ei pendēda &c. quæ ſanè Secularis Poteſtatis ſunt propria, & eccleſiaſticæ incōpetibilia; Quin hoc agit *Paulus*, ut redarguat eos, qui, per prætextū Evāgelii & libertatis chriſtianæ, ſatagebāt homines abducere ab obediētia *P*oteſtatū Seculariū, quibus potius omnes ſubditi eſſe deberent, illibatâ etiā ſuâ Conſciētiâ & libertate.

Tertia exceptio merū olet papiſmum, & hauſta eſt, ō ex fontibus Iſraëlis, ſed ex decretalibus pontificalibus, quæ eò ſonant, Papam abſolutam habere poteſtatem conſtituendi canones ſacros pro Clericis, & iſtos canones obligare clericos, ſub reatu pœnæ infernalis; hinc contra latos canones nihil â Clericis ineundū: quæcunq; verò prætera poteſtates ſeculares impoſuerint, ſaltem directivè, ō coactivè eſſe interpretanda. Vana ſanè omnia & â rei veritate aliena! Nam quæ ad Clericos & eorum functionē formaliter ſpectāt, ſatis clarè in Scriptura ſunt expreſſa; quæ verò ad ordinē & decōrē eorundē, nō tam in Papæ, quàm Eccleſiæ diſpoſitione cōpacta ſunt, & variari poſſunt, ſalva fidei unitate, prout cujuslibet loci ratio permiſerit; in cęteris, cū reliquis contribulibus degunt ſub eadē jurisdictione ordinarii ſui Magiſtratus, & cōmuniter ei obedire cogūtur in omnibus (niſi ſpecialis indulgentia, eaq; libera, alicubi gratiā fecerit) ubi Verbum divinū, & publica Honeſtas, atque morū integritas non obviaverit: tunc enim, quicquid obtendat humana *P*oteſtas, DEO magis obediendum fuerit, quàm hominibus.

2. Idem requirit Exemplorum conformitas; repetimus ſaltem duo. unum è Veteri, alterum è Novo Teſtamento: Abiathar erat ſummus Pontifex, ſed ità humiliatus eſt ſub poteſtate Regia, ut â Salomone non tantùm ſacerdotio remotus ſit, 1. Reg. 2. ℣. 35. ſed & morte mulctatus fuiſſet, niſi gratia ei facta eſſet, 1, Reg. 2. ℣. 26, Quænam, quæſo, hic exemtio de cenſura

ſecu-

ſeculari, cui ad mortē usq; parendum fuiſſet, niſi ſpecialis gratia interveniſſet, fundata ſuper meritis, Parenti, h.e., Regi Davidi, præſtitis?

Sed excipit Bellarminus 1. factum Salomonis tantùm narrari, ſed nō probari. 2. potuiſſe Salomonem hoc præſtare, non, ut Regem, ſed, ut Prophetam, extraordinariè, ad hoc munus exequendum, â *Deo* excitatū. Reſpondeo ad 1. Sicuti reliqua facta, adverſus conſpirantes edita, non narrantur ſolummodò, ſed & probantur: ſic & hoc, adverſus Abiatharem ſuſceptum, qui hujusmodi factionibus æquè ſe immiſcuerat, 1. Reg. 1. ℣. 7. & c. 2. ℣. 22. non narratur ſolùm, ſed & probatur. Ad 2. Producendæ prius fuiſſent tabulæ, novi illius impoſiti muneris prophetici, quàm poteſtati regiæ præjudicium fuiſſet factum, cui vel ordinaria poteſtas, ad hoc exequēdum, erat ſufficiens, licet nullum novum mandatum unquam intervenerit, nec intervenire neceſſe fuerit.

Neq; eſt, ut obtendantur verba ex ℣. 27. Ut impleretur ſermo Dei &c. non etenim in hunc finem ea adducuntur, ac ſi per iſta Salomoni, tanquam Prophetæ, nova commiſſio exequenda fuerit injuncta: ſed ut prædictio Samuelis in memoriam revocaretur, quâ familiæ Heli, infamia & internecio fuerat prænunciata, cujus divinæ prædictionis tunc Salomon extabat ὑπουργὸς, obſequens adminiſter, uti loquitur Gazæus, Schollis ſuper h. l.

Alterum exemplum mutuamur ex Act. 25. ℣. 21. ubi Paulus ſcribitur appellâſſe ad Cęſarem, ut ejus cognitioni ſervaretur, nequaquam id facturus, ſi â ſeculari cenſura ſe noviſſet exemtum.

Bellarminus excipit, Paulum coactū fuiſſe appellare Cæſarē, Act. 28. ℣. 19. *Ergò* non de jure, ſed de facto id feciſſe. Reſpondeo, nos non urgere, quâ neceſſitate compulſus Paulus ad Cæſarem provocaverit, quæ neceſſitas potuit eſſe ſita in calumniis Judæorum, quibus tantùm nō opprimebatur Apoſtolus; & in injuſtitia Romani *Præ*ſidis, qui neminē præter Cæſarē admittebat Superiorē: Sed, quòd in cauſa ſua, quæ ſubindè aliis atq; aliis involvebatur criminibus, prout colligere eſt ex Act. 25. ℣. 8. Judicem ſupremum agnoverit Cæſarem, eâ animi alacritate, ut, coram ipſo Præſide, intrepidâ hanc vocem emiſerit: Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet judicari, Act. 25. ℣. 10. quâ nihil aliud voluit, niſi hoc: quoniam neq; â Judæis, neq; â Præſide Romano juſtitia mihi adminiſtratur, appello ad ipſum Cæſarem, & illius judicio me ſiſto, quod tam facio lubens, ut ejus judicio vel ſtandum vel cadendum mihi cenſeam. Inde ſequitur, ſi Paulus ſe ſtitit corā judice politico, & fas atq; jus eſſe cōfeſſus eſt, ut ibi de cauſa ſua cognoſceretur & judicaretur, (id quod important verba, cōſiderati animo pronūciata: ibi oportet me judicari) nullā cauſā eſſe, cur reliquos Clericos, â ſimilibus judiciis oporteat proclamari exēptos?

Succedit III. loco, rationis firmitas, quæ eſt: Quæcunq; competunt Miniſtris Eccleſiæ Novi Teſtamenti de jure divino, ea ſunt immutabilia. Patet hoc ex analogia Sacerdotum & Levitarum in V. T. quibus quæcunq; aſſignata fuêre de jure divino, Deus conſtanter perpetuari voluit in generationibus populi ſui, Lev. 7. ℣. 36. c. 23. ℣. 20. At exemtio à poteſtate ſeculari, diverſis temporibus alias atq; alias paſſa eſt mutationes. Er. de jure divino Miniſtris non competiit. Minor conſtabit ex ſubductione temporũ. Tempore Chriſti nulla apparebat exemtio clericalis, quando ipſe, conſtitutus coram Pilato, confitebatur, Pilato eſſe deſu per in ſe datam poteſtatem, Joh. 19. ℣. 11. Quod exemplum tam validum exiſtimat Bernhardus, ut illud cumprimis urgeat, ad Archiep. Senon. inquiens: Quid ſecularitatem cõtemnitis? Nemo ſecularior Pilato, cui Dominus aſtitit judicandus. Non haberes, inquit, in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper: jam tunc pro ſe loquebatur, & in ſe experiebatur, quod poſtea per Apoſtolos clamavit in Eccleſiis: Nõ eſt poteſtas, niſi à Deo &c. Tempore Petri, ſimiliter nulla, quin omnes tam Laici, quàm Clerici cogebãtur eſſe ſubditi ſuis Dominis, õ tãtùm modeſtis, ſed & δυσκόλοις, 1. ep. c. 2. ℣. 18. Quemadmodũ nec tẽpore Pauli, q̃ ſanè nunquã ad Cæſarẽ, tanquã competentẽ ſuũ judicẽ, appellâſſet, ſi ſibi de jure divino aliud licere exiſtimâſſet, Act. 25. ℣. 11. Et quis nobis perſuadebit, Chriſtianos omnis generis, ſub ethnicis gubernatoribus degentes, lites ſuas alibi tractâſſe, præſertim capitaliores, quàm corã ordinario ſuo Magiſtratu? aut Ethnicos, ad jus ſuum conſervandum attentiſſimos, aliud forum ipſis indulturos fuiſſe? Aut igitur tunc nulla fuit talis immunitas, aut poſt cataractas adhuc latuit. Tempore Conſtantini demum cœpit caput erigere, teſte Sozomeno l. 1. c. 9. & cognitionem judicum Civilium à ſe declinare: verùm non ex fundamento juris alicujus divini, ſed ex mera conceſſione Imperatoris. ſic enim expreſsè Nicephorus: ſi Clerici cognitionem civilium judicum declinare voluiſſent, permiſit, & libertatem Eccleſiæ, LEGE LATA, cõceſſit, l. 7. H. E. c. 46. quam Succeſſores Chriſtiani, ob honorem & amorem ſacerdotii, aliis atq; aliis privilegiis porrò adauxerunt, atq; ſic, pro lubitu, de tempore in tempus mutârunt, reſervatô tamẽ ſibi ubiq; ſupremô dicaſteriô, uti partim ex authentica: Nullus Epiſcopus. L. 23. præmiſſa C. de Epiſc. & Cler. liquidò conſtat, quã dicitur: Nullus Epiſcopus invitus ad civilẽ vel militarem judicẽ in qualibet cauſa producatur vel exhibeatur, NISI Princeps jubeat. quæ poſtrema verba, ſupremũ jus & poteſtatem Imperatoribus ſemper illibatam reſervant: partim ex Epiſtola Valentiniani ad Epiſcopos Aſiæ, quâ inter cætera ſic ſcribitur: Probi Epiſcopi non ſolùm Deo, ſed & Regum legibus debent obtemperare, apud Theodor. l. 4. H. E. c. 7. Quid verò de his & ſimilibus Conceſſionibus olim ſenſerint & judicârint prudentiores,

vel

vel ex ſolius Antonini verbis colligere eſt, quę legũtur in Memorabil. Wolfii T.1.p. 859. Nullus eſt fructus emancipationis ſeu exẽtionis, niſi quod Epiſcopi indè inſolentiores, & Monachi fiant diſſolutiores. Adde, quòd qui audiunt, ſcandalizantur, detrahunt, blaſphemant &c.

Nunc ad rationes, in contrarium ab initio allatas. In prima confunditur abuſus cum uſu. Non enim loquitur Pſalmiſta de legitimo uſu poteſtatis politicæ, quô Magiſtratus bonos & pios Miniſtros gubernando defendit, in immorigeros verò cenſuram ſtringit: ſed de abuſu, quô Tyranni innocentes perſequuntur, ita ut ne quidem ab Unctis Dei manus cohibeant; quod ſanè nunquam ferent inultum: Alioqui, ſi David ſimpliciter & abſolutè de Poteſtate ſuper Miniſtros locutus fuiſſet, proteſtatio foret contraria proprio facto. Ipſe utiq; David, in cauſis ſeculi, Sacerdotes & Prophetas ſubjectos ſibi habuit, non diffitente Gratiano, Juris Canonici Compilatore, qui ſtatuit, Davidem ex regali unctione in tantum Sacerdotibus & Prophetis præfuiſſe, ut in cauſis ſeculi, re ità efflagitante, etiam corporalem pœnam eis irrogare potuerit, C. Nos ſi. §. ſed notandum. C. 2. q. 7.

In ſecunda ratione ex Matth. 17. ℣. 26. committitur ignoratio *Elenchi*. Non enim Chriſtus eò intendit, ac ſi Clericos, aut totum cœtum fidelium (omnes enim hi audiunt ſpirituales filii Domini noſtri Jeſu Chriſti, quamdiu beneficiô adoptionis, ſponte ſuâ, non exciderint) ſuâ prætenſione ab oneribus civilibus voluerit eſſe exemtos: ad quid aliàs Paulus tam ſeriò inculcâſſet converſis ſuis Romanis: Reddite omnib⁹, quod debetis, tributum cui tributum, vectigal cui vectigal, Rom. 13. ℣. 7. ſed ut oſtenderet, ſe, pro autoritate ſua divina, quòd naturâ eſſet Dominus & Rex omnium mundanorum *Principum*, ipſo jure quidem liberum eſſe ab omni penſitatione tributi; nolle tamen, in ſcandalum aliorum, jure ſuo uti: ſed cedere, & æqualia aut majora pendere, quàm alii Capernaitæ ſolerent. Hoc ipſo ſuo exemplo alios condocefaciens, ſe quoq; paratos eſſe debere, dare Magiſtratui, quæ ſua ſint, & ſi res ità poſtulet, de jure ſuo etiam aliquid remittere.

Si urſeris: attamen filii Regni pronunciantur liberi ab ejusmodi oneribus! audi quid noſter Dn. Philippus: Hæc libertas filiis Regni, in hac vita, nondum eſt exhibita, ſaltem jus habent ad rem, nondum in re, h.e., nõdum ſunt in poſſeſſione bonorum corporalium, quæ primùm poſſidebunt poſt hanc vitam, T.3. Operum, p. 502.

In tertia adducitur locus ex Pſ. 44. ℣. 17. qui ſic ſonat: Conſtitues eos Principes in omni terra &c. Explicatur autem bifariam, vel de omnibus Chriſtianis, quòd nimirum illi principatum obtenturi, & dominaturi ſint Carni, Diabolo & Mundo, ex Apoc. 5. ℣. 10. an verò propterea omnes Chriſtiani erunt ſuperiores, & ſic nemo illorum Magiſtratui politico ſubjectus?

ctus? abſurdum, & edicto Apoſtolico è diametro oppoſitum: Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta ſit, Rom. XIII. 1. Vel de ſolis Apoſtolis, ex Pſal. 67. ℣. 28. ſed annon & illi, ſtante etiam ſuo Principatu ſpirituali, infra poteſtatem ſecularem collocantur, Luc. 22. & de ſua exaltatione promiſſionem accipiunt demum in Regno cœleſti, ſi prius in tentationibus Chriſti conſtantes perſeveraverint? ℣. in eod. cap. Luc. 25. & 29. Ex quo manifeſtum evadit, â Principatu ſpirituali, ſupra principatū ſecularem, vitioſam concluſionem inſtitui. Probè hoc intellexit Imperator Fridericus 1. apud Ligurinum l. 6, quandò Papam, ad principatum ſuum ſpiritualem ſubindè provocantem, utriusque Principatus diſcrimen rectè edocuit, & quomodo ſine præjudicio alteruter obtineri poſſit, in hunc modum detexit:

*Eccleſiam regat ille ſuam, divinaq; Jura*
*Temperet; Imperium nobis faſcesq; relinquat!*

In quarta, factum cum jure confunditur. Concedimus, quòd Pontifex â ſuis Aſſentatoribus conſtitutus ſit Princeps totius Clericatus, tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus; Sed hoc de facto contigit, cum ſummo damno Ordinis politici, & violatione regulæ Juris: Nemo (& conſequenter nec Papa) locupletari debet cum alterius damno: Nos autem diſputamus de Jure, utrùm de Jure, & quidem divino, talis Conſtitutio obtineat? & negativè reſpondemus, non obtinere: quin omnem poteſtatem temporalem Papæ eſſe detractam, & ſoli Magiſtratui politico aſſignatā. Quando igitur Clerici Papæ eatenus ſe ſubtrahunt, & politicum Magiſtratū pro Domino recognoſcunt, in eo, non duobus Dominis, jure inter ſe diſſentientibus, ſerviunt: ſed Cæſari reddunt, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei, juxta præceptum Domini, Matt. 22. ℣. 21.

Quinta ratio, ultra ovinam ſimplicitatem ſimplex eſt. Sint Principes oves in Templo, annon & Paſtores eſſe poſſunt in Palatio? ſint oves, ſed rationales, quæ ſciant, quantum aliis indulgere debeant, ut interim jus ſuum illibatum retineant. Et meritò pudeat Clericos quoscunque, quantæ etiam ſint ſublimitatis & exiſtimationis, illud Conſtantini M. VOS DII ESTIS &c. pro ſe allegare. Produnt n. in eo ſuam inſcitiam & inurbanitatē: dum, quæ honoris gratiâ prolata ſunt, ad expeditius tollendas privatas Epiſcoporum lites, quæ non magis inter eos gliſcere deberent, aut apertius â mortalibus dijudicari, quàm ſi inter Deos immortales exorta, conſopienda eſſet diſcordia; trahere volunt in rem ſeriam & præjudiciariam, immemores, non trahi oportere in exemplum, quod prius, dicis cauſâ, infra ſuam dignitatē, præ ſuperſtitioſa humilitate, erat in auras emiſſum &c. argumentô cap. quod alicui. de R. J. in 6. Sed annon & Principes vocantur Dii? & qui-

& quidem non ab hominibus,ſed ab ipſo Deo,non honoris duntaxat gratiâ, ſed ſeriò & iteratò, Pſ.82.ỳ.1.& 6. quia verè Dei locum in terris tenent, ex interpretatione Bellarmini,L.de Laicis,c.3.§.1.quia igitur Dei locum tenent in Rep.Chriſtiana, ergò etiam omnes Reip.chriſtianæ cives,Eisdē obedire,& judicio eorū ſe ſubmittere tenebuntur! Et tantùm abeſt,ut ob iſtud prædicatū, Epiſcopis tributum,VOS DII ESTIS, judiciô eccleſiaſticorū ſe abdicaverit Conſtantinus M.ut in Epiſtola ad Celſum,Vicariū Affricæ, in hæc verba eruperit: Scias,quòd tam ſuper plebe, quàm ſuper Clericis, qui primi ſunt,ſum diligentiſſimè quæſiturus, idq; judicaturus,quod veriſſimū & religioſiſſum eſſe, manifeſtum eſt &c.

Ultima ratio potius contra Bellarminum eſt,quàm pro eo.Nam maniſeſtè reſpicit ad conceſſionem Principum, quâ Clericis eam gratiam benignè fecerunt, ut in certis caſibus,â nonnullis judiciis civilibus,eos reddiderint immunes, ſalvâ tamen ſtante ſua interpoſitione, ſi res ita poſtulet: Noſtra autem quæſtio eſt de conceſſione divina: utrùm Clerici jure divino ſint liberi â judiciis ſecularibus, & ita quidem ut nulla de cauſa, ſive civili, ſive criminali, conveniri poſſint coram Magiſtratu politico? Nam ut prius haud inviti concedimus, ita tamen, ut non vergat in detrimentum, quod prius liberale fuerat Magiſtratus beneficium, per L.6. Cod. de LL. quod favore quorundam conſtitutum eſt, quibusdam caſibus, ad læſionem eorum nolumus inventum videri: Sic poſterius negamus. Et quod delicta in ſpecie attinet, ſtatuimus, quemadmodum illa ſint vel civilia vel criminalia, ita etiam vel civiliter vel criminaliter debere plecti ab ordinario Magiſtratu, ſecundum Legum determinationem, ad quas hujuſmodi punitiones pertinent. Et tantùm abeſt, ut, lex imperatoria ſive civilis, cedat pontificiæ ſive canonicæ, præſertim intra Imperium Romanum (in quo Imperator nullum ſuperiorem agnoſcit Legiſlatorem, quàm ſolum DEUM) ut potius ſtandum cenſeamus generali Juris deciſione, expreſſa in L.10. Cod. de LL. hiſce verbis: OMNES ſecundum Leges vivant, etiamſi ad divinam Domum pertineant!

His ita ſe habentibus, univerſos ac ſingulos, Clericos atq; Eccleſiæ Miniſtros, fraternè commonitos volumus, ut tam Muneris divinitus impoſiti, quàm Magiſtratus, quem ſupra ipſos conſtituit Dominus, exactiſſimam rationem habeant, illud fideliter obeundo, inſtando tempeſtivè intempeſtivè, arguendo, objurgando, exhortando cum omni lenitate & doctrina: Atq; unà hunc Magiſtratū videlicet, omni honoris cultu pſequēdo, meritis laudib⁹ evehēdo, officiū ej⁹ deprædicādo & ab omni contumelia vindicando, ipſiq; non ſolùm propter iram, ſed & propter Conſcientiā ſe ſubjiciendo, nihil metuentes ab eo, ſi benèfecerint. nam laudem tunc â Magiſtratu

re-

reportabunt, debito favore viciſſim ab eo afficientur, & omnis generis ſubſidiis reficientur; econtrà ſi fecerint, quod malum eſt, meritò ejus poteſtate terreantur. non enim fruſtrà geſtat gladium, ſed Dei miniſter eſt & ultor ad iram UNICUIQ; , qui, quod malum eſt, fecerit. &c.

## I X.

## Utrùm Miniſter Eccleſiæ, bonâ cum Conſcientiâ, poſſit veterem ſuam ſtationem relinquere, &, accedente legitimâ vocatione, aliam quandam novam conditionem ſuſcipere?

Tantum nimirum mutandi cacoëthes nonnullos cœpit, ut nullam fixam ſedem queant retinere, ſed, tanquam Protheô mutabiliores, modò hanc, modò illam, cum priſtina ſua ſtatione commutent, illud *Plautinum*, è Prologo captivorum, ſubindè ingeminantes: Si non, ubi ſedeas, locus eſt, eſt, ubi ambules! quâ ſuâ prurigine tandem effecerunt, ut aliorum odium in ſe concitârint, & hanc acrem ſententiam extorſerint, non licere Miniſtris, priorem ſtationem relinquere, & ad aliam aſpirare, quôcunq; tandē modô offeratur. Sic *Evariſtus* in c. ſicut Vir. C. 7. q. 1: Sicut Vir non debet adulterare uxorem ſuam: ita nec *Epiſcopus Eccleſiam* ſuam, id eſt, ut illam dimittat, ad quam fuit ſacratus, ut alteri ſe, ambitûs cauſâ, conjungat. Cum Euſebius aliquando vocationem haberet ad Epiſcopatum Antiochenum, & illum detrectâſſet, in hac recuſatione adeò ſibi complacuit Imperator Conſtantinus, ut his verbis extulerit Euſebium: Porrò, abs Te prudenter ſanè factum eſt, quòd & Domini mandatum, Apoſtolicumque Eccleſiæ canonem ſervare decreviſti, Epiſcopatum Eccleſiæ Antiochenæ prorſus repudiando, & in eo Epiſcopatu fungendo permanere, quem ab initio, Dei voluntate, ſuſcepiſſes. Legatur ipſe *Euſeb*. l. 3. de vita Conſtantini, c. 59. p. 382.

Scitum eſt & memoratu digniſſimum, quod Conr. Porta in Paſtorali Lutheri, p. 23. ex Matheſio refert, quo in ἀλλοπροσάλλους iſtos ſequentibus verbis invehitur: Alle Chriſtliche Pfarrer und Seelſorger ſollen lernen/ daß Ihnen Chriſtus ſelber/ durch den H. Geiſt/ und ordenliche Wahl und Beruff / ſeine Gemein und Herdlein befihlt/ und ſollen Sie ihr Lebenlang mit trewen meynen/ wie ein Kind ſeine Mutter/ oder/ wie ein Vatter ſeine leibliche Kinder/ oder/ wie ein frommer Mann ſeine ehrliche und eheliche Haußfraw/ und wenn Sie ihren Kirchē ihr Lebenlang trewlich und weißlich fürgeſtanden/ ſollen Sie darauf dencken/ daß

Sie

Sie darneben Leüt erziehen und abrichten / denen Sie am Todbeth die Schäfflein und Lämmerlein Chriſti widerumb befehlen können; Allein mehrer theil ſucht das Seinige/wenig aber was Chriſti iſt. Mancher thut/ wie die Sonnen Krämer/ wo die Sonn ſcheinet/ und da Er denckt Geld zulöſen / da bindet Er ſeinen Knapſack uf / gehet ein trübes Wölcklein herein / und die wahr will uf einer andern Kirchweyh mehr gelten/ ſo bindet Er wider ein / und feret auf / Gott geb/ es bleibe Mutter oder Braut/ daran der Sohn Gottes ſo viel gewendet hat / wo Sie will. Derhalben ſollen Alle Chriſtliche Pfarrer hie lernen/ Befiehlet Einem Gott ein Kirche, die ſoll Er ſein lebenlang behalten/ wie ſein Ehelich Weib/ ſo fern Sie Gottes Wort hören / und Chriſto ſein Ehegelübnis halten will. Denn da Eine auß dem Geſchir ſchlegt/ und nimmet falſche Lehr an/ und laufft Selber von ihrem Seelſorger/ und verfolgt und verjagt Einen/ da heiſſet Chriſto ſeine Diener ſelbſt außgehen/ und den Staub von denn füſſen ſchütteln.

Porrò, ajunt, ubi legitur, quod Moſi, Prophetis aut Apoſtolis fuerit licitum, abire quò voluerint? nuſpiam; contrarium pateſcit potius ex Exod. 4. ℣. 10. Jer. 1. ℣. 7. Jonæ 1. ℣. 4. & 3. ℣. 3. Act. 16. ℣. 9. Rom. 1. ℣. 13. &c. Si igitur hoc tantis *Eccleſiæ* columnis non fuit licitum, multò minus licitū erit Vulgaribus Eccleſiæ miniſtris!

Tandem adducunt rationem, & dicunt: Paſtor illi Eccleſiæ & loco, cui ſemel ſuam operam addixit, perpetuo jure devinctus eſt. Ergò ad aliud officium Eccleſiaſticum commigrare non poteſt, quicquid etiam intervenerit. Ratio Conſeq. eſt: Si enim jure perpetuo devinctus non eſt, habet hoc, aut ex generali vocationis lege, aut ex ſpeciali indulgentia & contractu ſingulari. Non hoc: nemini enim licet contrahere cum Eccleſia, vel ad certos annos, vel indefinitè ad quemcunque ipſi viſum eſt terminum; neq; illud, quemadmodum ex doctrina de Vocatione conſtat, cujus jus eſt penes ſolum Deum, extrudentem operarios in vineam ſuam, Matt. 9. ℣. 38. & transferentem eos, quò libet, Act. 16. ℣. 9 Jer. 10. ℣. 23. idq; vel mediatè, vel immediatè. Er. ſalvo jure aliò commigrare non poteſt, ſed tenetur permanere in ea *Eccleſia*, cui ab initio, perpetuò jure devinciebatur. Huc pertinet illud Bernhardi, ex Epiſtola 87. ad Ogerium: Aut ergò oportuit te gregem dominicum, minimè ſervandum, ſuſcipere: aut ſuſceptum nequaquam relinquere, juxta illud: alligatus es Uxori? noli quærere ſolutionem!

Antequam ad deciſionem hujus Caſus deſcendamus, præmittendum eſt I. ſermonem nobis haudquaquam eſſe de eo, qui ſemel miniſterium ingreſſus, ei ſufferendo per omnia ſit ſufficiens; poſtmodùm verò ab eodem reſiliat, & aliud vitæ genus ſibi ineundum eligat. Tantum enim abeſt, eatenus Miniſtrum juſtificemus, ut ne in Studioſo adhuc, æquanimiter fera-

 mus-

mus: ſed univerſos & ſingulos, qui ſemel nomen Theologiæ dedêre, fideliter admoneamus, ut cœptam telam pertexant, & ſtudio theologico ad finem usq; vitæ conſtanter adhæreant, nec â via inita unquam deflectant, aut ad aliam Facultatem animum applicent, niſi Deum adverſus ſe irritare, & ſuos ipſorummet dies decurtare velint procaciſſimè. Nam experientia teſtis eſt, eos, qui talia conati ſunt, plerumq; varia pericula, & ad extremum, ipſam μικροβιότητα ſubiiſſe; quia nota eſt vox Chriſti prægnans: Nemo, qui, manu ſuâ admotâ aratro, reſpexerit ad ea, quæ retrò ſunt, appoſitus eſt ad regnum Dei, Luc. 9. ℣. 62. Audiantur ea de re Centuriatores Magdeburg: Nunc quosdam audimus, deſertâ functione Eccleſiæ, ob pericula, odia, iniquitatem hominum, ad forenſium cauſarum actionem & rerum civilium tractationem animum adjicere, qui quidem non arundines, non chamaleontes tantùm, ſed apoſtatæ & hoſtes Eccleſiæ Dei publicè cēſeri & proclamari debebant, Cent. 3. Hiſt. Eccl. p. 329.

II. Nemo alteri, de ſuſcipienda mutatione, facilè conſilium ſuppeditet. utut enim alea exitum ſortitura eſt, parum tamen commodi in Conſultorem redibit. Si benè ceſſerit nova functio, eventus in fortunam refertur, quæ tam fauſtos jactus elargita ſit; ſin malè, omnis ſiniſteritas Conſultori imputabitur, quin, infernalibus diris devovebitur, quòd, inconſideratô conſiliô, priſtinâ ſuâ ſede poſſeſſorem extruderit, & in talem labyrinthum præcipitaverit. Subolfaciens hoc olim prudens Theologus, de nova Vocatione, conſilium ſolicitanti, in hunc modum reſpondit: Domine, tua res agitur; Si igitur conſcientia tua oblatam Vocationem judicat eſſe divinam, auctor Tibi nunquam ſum, ut eam detrectes: In eo verò ſi fluctuas, periculoſum erit, Eccleſiam tuam deſerere.

III. Sed & ipſe nemo, niſi re exactè perpenſâ, & cum aliis hinc indè communicatâ, in mutationem conſentiat. Ut enim taceam incommoda, quæ hujusmodi mutationem utplurimùm ſoleant concomitari, & magnô numerô recenſentur â Chytræo in *Epiſtolis*, p. 150. & 678. metuendum præterea eſt, ne, ſi quid adverſi deinceps, vel in Officio, vel in Familia eveniat, conſcientia laceſſita in hæc ſæpè verba erumpat: Quid feci miſer, ꝙ me ipſum præcipitaverim, & priſtinâ meâ ſtationẽ deſeruerim, nec bonorum Virorum conſilia ſuper hoc inquiſiverim? an ignoravi illud Hebræorum: הַכֵּר אֶת מְקוֹמְךָ, noſce locum tuum? illud Germanorum: Wer wol ſitzt / der laß ſein rucken? illud vulgò receptum, & ex tripode quaſi prolatum:

*Si qua ſede ſedes, atq; eſt tibi commoda ſedes,*
*Iſtâ ſede ſede, nec ab illa ſede recede?*

Heu mihi! ſoli mihi & incogitantiæ meæ deputandum eſt, quicquid diri-

tatis

ratis in novo miniſterio ſupervenerit: utut ſub iſta mole planè deficiam, ; excedendum mihi, quicquid intriveram ipſe!

Quòd ſi verò IV. præter expectationem & ſpem ſe offerat Vocatio (nam ut quis ipſe currat, & ſpe vel majoris mercedis, vel amplioris dignitatis, lautius munus ambiat, minimè conſultum putamus, memores verborum Hieronymi ad Oceanum: In Nicæna ſynodo â Patribus decretum eſt, ne de alia in aliam Eccleſiam Epiſcopus transferatur, ne virginalis pauperculæ ſocietate contemtâ, ditioris adulteræ quærat amplexus) & ille in animo ſuo ſit convictus, ſe divinam habere vocationem, manifeſtæ neceſſitatis & utilitatis, i.e. copioſioris fructificationis gratiâ, deſuper quaſi immiſſam: alii præterea, de conſilio exorati, propoſitum mutandi neq; improbent, neq; firmioribꝰ rationibus incidant: & tandem Magiſtratus ipſe atq; Eccleſia, quibus hactenus erat obligatus, benignè in dimiſſionem ejus conſentiant &c. non videmus, cur functionem, cui prius præerat, non relinquere, & oblatam novam, bonâ cum conſcientiâ, poſſit amplecti?

Nam I. Deus, qui Eccleſiæ ſuæ curam gerit perpetuam, *Pſ.* 121. ℣. 4. & ei de Miniſtris proſpicit, *Eph.* 4. ℣. 10. 11. 12. liberam habet poteſtatem extrudendi quoſcunq; operarios in vineam ſuam, ubi & quandò ſibi viſum eſt, Matt. 9. ℣. 38. & jubendi, ut hîc gradum ſiſtant, aut illuc porrò abeant, Rom. 15. ℣. 22. 1. Theſſ. 2. ℣. 18. & hoc vel mediatè vel immediatè. Nam non ſola immediata, ſed & mediata Vocatio Dei opus eſt, Act. 20. ℣. 28. ubi igitur vera præcedit vocatio, nullaq; obtendi poteſt legitima excuſatio, quæ cauſa eſt, cur manus Dei ligare velit humana imaginatio & reluctatio?

2. Annon opus verè bonum eſt & licitum, ſi quis Epiſcopatum deſideret, & operam ſuam ad officium *Eccleſiaſticum* ſupplicando deferat? Ità ſanè Paulus innuere videtur, 1. Tim. 3. ℣. 1. Ergò multò magis licitum erit, ſi quis, ultrò oblatum officium, eâ quâ par eſt animi promtitudine, prehenſet, & in majorem Eccleſiæ ædificationem, pro ſingulari Dei providentia & diſpoſitione adminiſtret.

3. Nota utiq; ſunt exempla eorum, qui è veteri ſua colonia â Deo extruſi, in alia loca tranſlati ſunt: mittemus Patriarchas, Prophetas & Apoſtolos; ſaltem in alios *Eccleſiæ Doctores* inquiremus. Neotericorum certè non eſt numerus, & quotidiana exempla adhuc ſunt obvia, imò quotusquiſque fungitur officiô Eccleſiaſticô, vel in Aulis, vel in Academiis, vel in populoſioribus Urbibus, qui non ex humili in ſplendidiorem iſtam functionem ſublimatus ſit? Ex antiquioribus commemorabimus tantummodò Origenem & Gregorium Nazianzenum, quorum ille Alexandrinæ, Cæſarienſi, Antiochenæ & Tyriæ Eccleſiæ præfuit; Hic verò octies cathedram ſuam *Epiſcopalem* permutavit: quem imitatus in eo Dn. *D.* Ni-

 colaus

colaus Selneccerus, ſeptem Vocationes ſuſtinuit, & in octavâ, antequam immiſſus eſſet, vitâ functus eſt ; nemo tamen hactenus extitit, quod ego quidem ſciam, qui ob id eos cavillatus, aut has illorum mutationes ſiniſtrè interpretatus fuiſſet. videatur pulcerrimus locus de obtemperando Deo vocanti, apud Athan. T. 1. Epiſtolæ ad Dracontium, p. 735.

4. Si ſcripturam conſuluerimus, deprehendemus, Deum plerumque Vocationi repugnantes pœnis afflixiſſe ; parentes verò, præmiis affeciſſe. inſpiciantur modò loca & exempla, Exod. 4. ℣. 11. 1. Reg. 15 ℣. 24. Jer. 1. ℣. 7. Jon. 1. ℣. 4. Matt. 25. ℣. 21. 30. 1. Cor. 9. ℣. 17. & neminem clam erit, rem ità ſe habere : imò experientia adhuc teſtatur, rarò malè cedere, qui novas Vocationes amplectantur; contrà, vel morbô, vel aliâ enormi calamitate luere, qui ſalutanti *Domino* terga obvertant, & parere renuant. Igitur,

*— — quò Nos fata trahunt, retrahuntq́, ſequemur,*
*Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt!*

5. Accedit deniq; conſenſus aliorum orthodoxorum Theologorum, è quorum numero duntaxat duos adducemus. Unus erit Dn. Chemnitius, dicens : quid multis opus eſt? Dominus meſſis, poteſtatem habet transferendi miniſtros ſuos ab una Eccleſia ad aliam. Eandem poteſtatem habet & Eccleſia ; modò omnia fiant legitimè. Sic Paulus & Timotheum & Titum non propriâ temeritate, non privatô judiciô, non causâ ambitus, aut dominationis, nō delectationis aut præſumtionis : ſed utilitatis, neceſſitatis & ædificationis Eccleſiæ gratiâ, de loco in locum tranſtulit. Et ſtatuta fuit olim pœna, conveniens iis, qui, ut ſuis commodis conſulerent, locum mutârunt : careat cathedrâ propriâ, qui ambit alienam! item : ab utraq; expellatur! Nec tamen perſonæ alligatæ ſunt ad unum locum, ut non poſſint ad alium tranſire, ſi evidentem ejus videant in Eccleſia utilitatem. *S*ed in veteri Eccleſia ſolebant hac de re judicium deferre ad alias Eccleſias, part. 3. L. C. de *E*ccl. p. 137. §. quid multis &c. Alter verò erit Dn M. Conradus Porta, cujus formalia, ob emphaſin & ſucci-plenitudinem, non ingratum erit excerpere. Sonant autem in hunc modum : Wenn jemand / auß ſonderlicher ſchickung Gottes / ohne ſein ſuchen und begehren / ja über und wider alle ſeine gedancken und vermutung / an Einen Ort / von einer andern Kirch und Chriſtlichen Obrigkeit / ordenlicher weiß beruffen / und Er dagegen ſeine urſachen / aufs beſte Er weiß / fürwendet, und Jhm dieſelben widerlegt / und abgelehnet werden / unnd ein Pfarrer bey ſeiner vorigen Obrigkeit und Pfarrkindern / mit gutem Gewiſſen und Willen / erbeten und loßgemacht wird / ſo ſoll und kan der jenige / der alſo beruffen wird / ſolches für eine rechte / Göttliche und Rechtmeſige Vocation achten unnd halten / und in Gottes Namen folgen / wohin Jhn der Herr der Erndte ſendet und ſchicket / neben ernſter und fleiſſiger Anruffung des Ertzhirten / allen müglichſten

fleiß

fleiß thun / und Ihm den ſegen und das gedeyen befehlen / und nichts achten / was unnütze Plauderer und verleümbder / hierüber von Ihm ausbreiten oder außgeben möchten, in ſuo Paſtorali, p. 24. fac. 2.

Quod vero attinet conſiderationes, ab initio in contrarium adductas, reſpondemus I. quod prima manifeſtè directa ſit contra ambitum, quem omni jure ſcimus eſſe illicitum. non enim ambitione vel pretiô, ſed probatæ vitæ & diſciplinarum teſtimoniô, ad honoris & ſacerdotii inſignia oportet promoveri, dicebat olim imperator Theodoſius. Si enim II. abſolutè locutus fuiſſet Evariſtus, & tranſitum ab Epiſcopatu ad Epiſcopatum per ſe condemnâſſet. ne quidem, neceſſitatis & utilitatis causâ, ejuscemodi mutatio poſſet ſuſcipi. cum καθ' αὑτὸ præſupponat κατὰ παντὸς: at hoc foret cõtra expreſſum canonem, quo dicitur: Mutationes Epiſcoporum, ſcitote, communi utilitate atque neceſſitate fieri licere, ſed non propriâ cujusquam voluntate aut dominatione, C. 7. q. 1. Similitudinem III. de marito & uxore, non oportet extendi ultra tertium Comparationis; hoc verò in eo duntaxat conſiſtit, quòd, quemadmodum Deus maritum & uxorem conjungit, ſic etiam conjungat paſtorem & Eccleſiam: quemadmodum maritus diligere & fovere debet propriam ſuam uxorem, ſic quilibet paſtor diligat aſſignatam ſuam Eccleſiolam: quemadmodum, mediante marito & uxore, in conjugio, generantur liberi, ad vitam temporalē, ſic in miniſterio, mediante Paſtore & Eccleſia, generari debeant liberi ad vitam ſpiritualem. ulterius ſi extenderis; non tam ſimilitudo futura eſt, quàm diſſimilitudo. nullum enim ſimile currit quatuor pedibus!

In exemplo Euſebii, qui deprecabatur Epiſcopatum Antiochenum, latebat tum ὑπουλόν τι. Nam nolebat Conſtantinum Imp. qui ſingulari gratiâ ipſum amplectebatur, & aliquoties pro eo in Epiſcopatu Cæſarienſi retinendo, ad alios Epiſcopos perſcribebat (vide Baron. T. 3. annum 324. n. 149.) offendere: nec Can. 14. Apoſtolico, qui prohibet Epiſcopum relictâ propriâ alienam Parochiam pervadere &c. contraire: nec tandem hæreſi Arrianæ, cui apud ſe non valdè adverſabatur, exemplô Euſtathii, Epiſcopi Antiocheni, qui jam antè contra Arium bellicum primus tubâ cecinerat, manifeſtè ſe opponere. His de cauſis Epiſcopatum Antiochenum detrectavit, hâc ſuâ πανουργία etiam Optimo Imperatori impoſuit.

Quomodò verba Matheſii ſint intelligenda, nemo rectius interpretabitur, quàm ipſe Porta, qui ea ex Matheſio allegavit, & p. 24. ſequentem ἐπίκρισιν annexuit: Dieſes aber ſoll mann mit nichten alſo verſtehen oder dahin ziehen / alß were es durchauß unrecht / auß ſeinem erſten dienſt oder beruff / an einen Andern ort ſich begeben: Sondern es iſt nur von denen geredt / die leichtfertiger / liederlicher und unbeſonnener weiß / auß Ehrgeitz / Geltgeitz / oder auß lauter Fürwitz /

ja Faulwitz daß dieſer nicht auffm Dorff/ ſehner in der Stadt ſeyn will/ oder wol D. Sieman zugefallen/eine Pfarr oder Dienſt umb den andern geben.

Quò etiam tendit prior ratio ab exemplo Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum petita, in quorum poteſtate non fuit abire, quò ſponte voluerint. quia immediatè â Deo erant vocati, & tam interno impulſu, quàm vi externâ nonnunquam protracti ad hunc, & non alium locum, quem Deus illis præſtituiſſet, ut oſtendunt exempla Jonæ, Jeremiæ & Apoſtoli Pauli, Jon. 3. ℣. 2. Jer. 1 1. ℣. 1 8. 1. Cor. 9. ℣. 16. Alia ratio eſt modernorum Miniſtrorum, qui mediatè & ab Eccleſia vocantur, qui, tametſi nec ipſi temerè locum mutare debeant, tamen ſi ab Eccleſia alia legitimè vocentur, obſervatis obſervandis, permittitur, illos abire, quò, inſpectâ communi utilitate & neceſſitate, ipſi voluerint.

Poſterior ratio, quæ negat, mutationem Miniſtris competere, nec ex generali lege Vocationis, nec ex ſpeciali contractu &c. committit fallaciam non cauſæ ut cauſæ. Neutra enim obſtat, quò minus mutatio poſſit iniri. Non generalis Vocationis lex, quippe quæ eam includit conditionem, ut vocata perſona tamdiu in aſſignato officio permaneat, donec Deus aliter de ea diſpoſuerit: Hunc enim retinuiſſe ſibi optionem extrudendi operarios ſuos, quò velit, & quotieſcunq; velit; & voluntati ejus unquam velle reſiſtere, foret temerarium, imò impium. oblatâ igitur novâ Vocatione, vocatus non violabit legem vocationis, ſed implebit etiam vocationem, quæ tacitè iſti legi fuerat incluſa. Nec ſpecialis contractus, de licito loquor, ut ſi quis initiò ad tenuem agellum ſit vocatus, licet qualitates illius eminentiorem locum promeruiſſent: ſed cum hâc reſervatione, fore, ut ſuo tempore benignior ejus habeatur ratio, atq; tempore pòſt, quando commodior occaſio ſeſe offerat, vigore illius contractus, è priſtina ſtatione avocetur, & ad functionem ſublimiorem promoveatur: An hoc iniquum ulli videbitur, vel potius, quò d tandem æqualia penſata ſint æqualibus?

Concludimus itaq; hunc Caſum verbis Pelagii ad Benignum Archiepiſcopum: Aliud eſt cauſa neceſſitatis & utilitatis: aliud præſumtionis ac propriæ voluntatis. Non ergò mutat ſedem, qui non mutat mentem, id eſt, qui non avaritiæ cauſâ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis vel delectationis ſuæ migrat de civitate ad civitatem: ſed cauſâ neceſſitatis & utilitatis mutatur. Nam plurimorum utilitas, unius utilitati vel voluntati præferéda eſt. Et qui non faciunt, ipſum Chriſtum negant, qui eſt miſericordia & veritas. negant enim miſericordiam neceſſitatem patientibus, Can. Scias. & Can. Omnis. Can. 7. q. 1.

X.

# Utrùm Miniſter Eccleſiæ poſſit coarguere publicè, quem privatim prius de delicto non admonuerit?

Multi in negativam abeunt ſententiam, & Miniſtro, poteſtatem coarguendi peccata publicè, omninò derogant, niſi prius delinquentem ad ſe vocaverit, delicti convicerit, & ſemel atq; iterum de corrigenda vita admonuerit; quòd ſi verò ſpes emendationis decollet, tum demùm ei integrum eſſe, in lucem proſilire, & delictum in apricum producere. Rationes illorum ſunt hæ:

I. Quia nullus reus proſtituendus, niſi prius confeſſum & convictum eum habuerimus. quò reſpiciens Eccleſiaſticus, graviter monet: Explora amicum, ſi quid fortè non dixit. ſæpe enim exiſtit calumnia. inveſtiga prius, antequam mineris, c. 19. ℣. 14. 15. 17.

2. Quia Chriſtus, Matt. 18. ℣. 15. 16. 17. omnibus Chriſtianis, & conſequenter, omnibus etiam Miniſtris præcipit, ut ſi frater in fratrem peccet, id eſt, quocunq; modô cum offendat, alter reprehendat fratrem primò clàm, ſeorſim, inter ſe privatim; quòd ſi iſta clancularia reprehenſio in vanum abeat, ſecundô locô adhibeat Teſtes, & ipſis præſentibus obortum fribuſculum repetat, ita tamen, ut ſimul reconciliationem cum illo inſtantius urgeat, quô, non impetratô ſucceſſu, offendens de illata offenſione fortius per eos conſtringatur: offenſus autem de quæſita, ſed non obtenta reconciliatione, magis innocuus pronuncietur. Tertiò demum, rebus omnibus fruſtrà anteà tentatis, malô nodo malum quærat cuneum, & totum negotium Eccleſiæ deferat, ut illa cauſæ examina penſitet, quâ quidvis lege nefasq; fasq; ſit, accuratè inquirat atq; juſtè dirimat. Cum Eccleſiaſtis enim comparatum eſſe debet, quemadmodum cum Medicis. Hi primâ fronte, lenia remedia propellendis morbis adhibent, quibus nihil proficientibus, extrema tandem ſubſtituunt: Sic illi non aſpera aut chymica primitus obtrudant. hæc enim via cōpendiaria foret ad fovendos tumultus, non ad cohibendos: ſed levia & lenia, ut vel ſine dolore, vel certè cum mediocri duntaxat, peccatorem lucrifaciant, & ſeriam atq; conſtantem faventiam utrinq; reſtabiliant.

3. Quia quilibet famæ ſuæ eſt retinentiſſimus, & in corpore quodvis vulnus facilè perpetietur, quàm in Fama leviſſimam tantummodò maculam. Si igitur Miniſter ſtatim cum pipulo in proſcenium illabatur, antequam reum admittat, &, vel confeſſionem vel excuſationem inſi-

inſimulati delicti percipiat, metuendum, ne is de famæ jacturâ conqueratur, imò cum Miniſtro, de canenda palinodia, coram Magiſtratu experiatur. Quod ignominioſum, & Eccleſiaſticis hominibus caue & angue pejus defugiendum.

4. Quia ultimis temporibus homines evaſuri ſunt contumaces & refractarii, facilè fieri poteſt, ut, absq; prævia monitione privata, taliter correptus, pænè in furorem agatur, Miniſtro obloquatur, & in ſua malitia tātum non obſtinatiſſimus reddatur. Quô malô conſecutô, annon remedium ipsô morbô erit deterius, &, quod peccatori in ſalutem cedere potuiſſet, ſi modò theologica manſuetudo & lenitas præceſſiſſet, cedet in æternā ipſius perniciem? quod ſanè non eſt, exemplô Pauli, animas lucrifacere, ſed peſſundare.

Quæ res quia altioris eſt conſiderationis, tria præmittemus, antequā certi quiddam definiamus. 1. quis publicè coarguere debeat? 2. Quos? & 3. de quibus eos coarguere debeat?

Perſonam; quæ coarguere debeat, oportet eſſe conſtitutam in publico miniſterio, & ſingularis vitæ integritatis, tam domi quàm foris, habere teſtimonium. Paulus vult eam eſſe ἀνεπίληπτον, 1. Tim. 3. ℣. 2. ἀνεπαίσχυντον, 2. Tim. 5. ℣. 15. quin exemplum fidelium in verbo, in converſatione, in fide, in caritate, in caſtitate, 1. Tim. 4. ℣. 12. & alienam non ſolùm â malo, ſed etiam â ſpecie mali, 1. Theſſ. V. 22. Digna videntur commemoratione verba, quæ habet Dàniel Tilenus parte 2. ſyntagm. Diſp. 33. th. 17. Qui ejusdem, vel ſimilis peccati ſibi conſcius eſt, hoc ipſo minus eſt idoneus ad officii hujus præſtationem, quatenus id, non ex caritate proficiſci, ſed ad oſtentationem referri videbitur, ab eo, qui in aliena vita reprehendenda curioſus, in ſua emendanda deſidioſus deprehenditur. nam accuſare vitia, eſt bonorum: quod cum mali faciunt, alienas partes invadunt. Hic ergò locum habet illud Auguſtini: Cum aliquē reprehendimus, cogitemus, utrùm tale ſit vitium, quale nunquam habuimus; & tunc meminerimus, nos eſſe homines, & habere potuiſſe: vel tale, quod aliquando habuimus, & jam non habemus, & tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam correctionem non odium, ſed miſericordia præcedat. Si autem invenerimus, nos in eodem vitio eſſe, non objurgemus, ſed congemiſcamus & ad æqualiter conandum invicem invitemus.

2. Quos debeat coarguere? Quosvis nocentes, ſuæ Diœceſi adſcriptos, cujuscunq; ſint ſexus, ætatis aut dignitatis. Eò enim ſonant generalia Dei præcepta: Vos, qui cuſtodes eſtis, ne taceatis, Eſa. 62. ℣. 6. 7. ſed exaltate, quaſi tuba, vocem veſtram, & annunciate populo meo prævaricationem ſuam, & domui Jacob peccatum ſuum, Eſa. 58. ℣. 1. inſtate tempeſtivè & intem-

intempeſtivè, 2. Tim. 4. ✠. 2. & dicite: Audite hoc Sacerdotes, & attendite domus Iſraël, & domus Regis auſcultate: quia vir correctionis ſum OMNIBUS, Hoſ. V. 1. 2. Concionatores enim ſimiles ſunt ſpeculatoribus, qui ſimulac vident fieri incendium, ſive id exoriatur in aula Principis, ſive in tugurio Opilionis, confeſtim populum inclamant, & ad extinguendum cōvocant: ſic illi, in quacunq; domo viderint flammam perverſitatis tendere ſui ſum, & ſcandalum, atq; multarum animarum minari interitum, derepentè clamorem excitent, de effundendis pœnitentiæ undis, antequam latius ſerpat, obvia quæq; invadat, & innocentes cum nocentibus depaſcat.

Errant igitur, qui ad graſſantia Populi peccata connivendum exiſtimant, ne ſubſidia & temporalia commoda amittant, dicentes: ulcera populi ne tangito. ſunt enim valdè lucroſa, es gibt gute Beichtpfennig / die muß man nicht in der Tur hinweg ſchnellen! Quid quæſo hoc aliud, quàm attollere animum ad iniquitates populi & peccata ejus comedere? Hoſ. 4. ✠. 8. Iſti enim peccata populi comedunt, inquit S. Hieronymus, qui ex eis vivunt, extenuando peccata, & indè accipiendo munera.

Similiter errant, qui diſſuadent, tangendos eſſe montes, ne fumigent, id eſt, peccata Superiorum ſilentiô involvenda potius, quàm oſtentui habenda, ne odium erga monitores concipiant, ſtipendiis eos emungant, &, pro re nata, de ſede ſua prorſus exterminent. Quaſi verò & horum vita Verbo Dei non ſit ſubjecta? ſunt quidem clypei & capita in foro ſeculari: interim manent etiam membra Chriſti, &, ſub hoc Capite, adverſus carnem, mundum & diabolum militant. Ergò tenentur, hujus Legatos audire, quoties jugum Chriſti excuſſerunt, iſtis Adverſariis frena laxârunt, & deliciis ſeſe commaculârunt; dicentes in humilitate ſua, cum regio Propheta: Percutiat me juſtus, & erit miſericordia: increpet me, & erit oleum præcipuum, quod non franget caput meum, Pſ. 141. ✠. 5.

Auſim ſponſionem facere cum quovis, nunquam cum Superioribus melius actum fuiſſe, quàm ſi Dei miniſtris patulas & patientes præbuerint aures: nunquam pejus, quàm ſi immorigeros ſe geſſerint. exemplo ſint duo Reges, Saul & Joas: Is quamdiu non receſſit à monitis Samuelis, fortunæ habuit undiq; ſatis; aſt, ubi refragari cœpit, cum tota ſua familia peſſum ivit, 1. Sam. 15. ✠. 7. & ſeqq. Alter verò Joas, quamdiu Jojadæ Sacerdoti obſecundatus eſt, malum in Regno ſuo vidit nullum; aſt, ubi Zachariæ, Jojadæ filio, quòd illum pro officiô ſuô corripuiſſet, reluctatus eſt, jugiter Regem mala invaſerunt & oppreſſerunt, 2. Par. 24. ✠. 2. 23. 24. 25.

Interim jubemus Concionatores, Zelum habere cum ſcientia, affectibus non indulgere, animô ulciſcendi aut injuriandi ſuggeſtum non conſcendere, ſuas reprehenſiones, ex amore gloriæ Dei & deſiderio Proximi

 ſalutis

ſalutis, non πρὸς ὕβριν, ſed πρὸς ἐπανόρθωσιν inſtituere, intra modeſtiæ limites ſe continere, & ſummoperè cavere, ne populum inter ſe committant, aut adverſus Magiſtratum ſuum acuant, hujus labeculas publico ſpectaculo exhibeant, & quem fulcire omnibus modis debebant, de honore & faſtigio, in quo DEUS Magiſtratum collocavit, præcipitent & dejiciant, atque ſic deprehendantur moroſi, rixoſi & tumultuoſi, qui videri volebant unicè Zeloſi.

3. De quibus debeat coarguere? ſunt ea, peccata, illaq; duplicia, vel privata, vel publica. Privata, vel de ſuggeſtu in publicum ſpargenda non ſunt. quia hoc foret contra præſcriptum Chriſti: ſolus eum inter te & ipſũ corripies, Matth. 18. ℣. 15. de quo loco eleganter Cyrillus his verbis: Nõ vult te, ſi fortè videris peccatum fratris tui, continuò evolare ad publicum, & proclamare paſſim, ac divulgare aliena peccata: quod eſſet utique non corrigentis, ſed potius infamantis. Solus, inquit, inter te & ipſum corripe eum. ubi enim ſervari ſecretum viderit ille, qui peccat, ſervabit & ipſe emendationis pudorem: ſi verò diffamari ſe viderit, illicò ad denegandi impudentiam convertetur: & non ſolùm non emendaveris peccatum, ſed & duplicaveris, T. 1. l. 3. in Lev. col. 643: Vel ſi ſpargenda cenſueris, nequaquam feceris, niſi adhibitâ cautione, quam Auguſtinus ſuppeditat, dum ait: Palàm loquor, & in ſecreto arguo, aures omnium pulſo, ſed conſcientias quorundam convenio. Si dicerem: Tu adulter, corrige te: primò fortè dicerem, quod neſcirem: fortè, quod temerè audieram, ſuſpicarer. Non dico, Tu adulter, corrige te: ſed quisquis in hoc populo adulter es, corrige te! Publica eſt correptio, ſed ſecreta correctio. ſcio, quia ille, qui timuerit, corriget ſe, T. X. Serm. 16. de verb. Dom. col. 72. Si verò peccata ſunt publica, aut jam publica facta, cum prius eſſent privata: aut, quãdo metuitur, ut perſonæ delinquentis autoritas & exemplum noceat Eccleſiæ, quemadmodum Petri ſimulatio, quia multùm nocere poterat, publicè reprehenſa eſt à Paulo, Gal. 2. ℣. 14. tunc eò deveniendum eſt, ut delinquentes arguantur publicè.

Videndum autem oppidò, ut hujusmodi delicta ſint notoria, id eſt, non ab inimico profecta, aut ex anicularum rumuſculis delata, non ex ſuſpicionibus, rumoribus vanis, incertis indiciis, multò minus clandeſtinis ſuggillationibus excepta, ſed ex infallibilibus documentis deſumta, quib⁹ inniti poſſit Conſcientia Concionatoris, ſe ratione officii non aliter poſſe, quàm publicè peccantem, publicè etiam coarguere: quorſum non parùm conducit, ſi delicta 1. ſint omnibus aut pluribus nota. 2. ſint in publico loco, aut coram hominum multitudine perpetrata. 3. ſint famâ, eaq; conſtantiſſimâ, ſi non decantata, ſaltem ſuſurrata, nam non de nihilo eſt, quod publica fama ſuſurrat!

*S*i quæ igitur talia graſſantur in populo, ſive doctrinæ illa ſint, ſive vitæ; Concionator aliter facere non poteſt, quin publicè in ea detonet, & debito cum Zelo iſthæc perſtringat, etſi antè privatim ipſos delinquentes non accerſiverit, examinaverit aut convicerit. Rationes ſunt hæ:

1. Quia *P*aulus, de hac officii parte agens, non meminit privatæ inquiſitionis & diſcuſſionis: ſed ſimpliciter inculcat: Eos, qui peccant, ἐνώπιον πάντων, in præſentia omnium, argue, ut & reliqui timeant, 1. Tim. 5. ℣. 20. Ecce in publicum jubet produci, quotquot in delicta publicè prolapſi ſunt, ſive Laici illi fuerint, ſive Clerici; modò res ſit liquida &c. Et ne quis exceptionem hujus vel illius prætendat, ſubjungit ℣. 21. obteſtationē, ut Timotheus hæc executioni mandet rigidiſſimæ, absq; ulla judicii præoccupatione, aut in alterutram partem propenſione, quia nimirum judicium ferri oporteat de Cauſa, non de Perſona. *E*legans eſt interpretatio Theophylacti ſuper h. l. quam commodè præterire non poſſum, ea autem ſic habet: Quemadmodum nudè & ſine judicio condemnare, arrogans eſt & temerarium: ſic REOS & peccato obnoxios non reprehendere, peſtilens eſt, ad multos morbum extendens.

2. Quia Miniſter Eccleſiæ non eſt ἀκόλουθος ſive pediſſequus, qui omnes angulos perreptet, & quid hic vel iſte alicubi moliatur, diſpiciat, excutiat, &, tanquam adhibitâ bilance, expendat & ponderet: Sed eſt publica perſona, quæ, tanquam in ſpecula conſtituta, obſervat mala, quæ in lucem emergunt, & ne ea alios etiam comprehendant ac inficiant, quacunq; poteſt parte, etiam publicè impedit. *E*ſt enim, ut dictum eſt, ſpeculatori ſimilis: Hic ſanè, poſtquam incendium collucere cernit, de ſpecula haudquaquam deſcendit, ut incenſas ædes perluſtret, aut quorum incolarum culpâ damnum datum ſit, prolixè examinet: ſed αὐτοβοεὶ, repentino clamore, periculum denunciat, & ad reſtinguendum ignem cœteros provocat: Sic Miniſter Eccleſiæ, cernens erumpentes malitiæ flammas in populo, absque ulteriore privata inquiſitione, rem detegit, & in luce reponit, ut innocuos adhuc â malo præſervet, nocentes verò pro merito caſtiget, nullô habitô diſcrimine, Tros Rutulusve fuant!

3. Quia exempla, præſertim Chriſti & Johannis Baptiſtæ idem confirmant. Chriſtus certè Phariſæos & Scribas ſeveriſſimis verbis multavit, & tam de infandis erroribus, quàm horrendis ſceleribus publicè & in genere taxavit, priusquam ſingulos in ſpecie admonuiſſet. vide Matth. 16. ℣. 6. in primis cap. 23. ℣. 13. & ſeqq. Et hoc ideò, quia ea non erant obſcura, nec quisquam talia neſciebat. Similiter, cum Herodis Antipæ factum percrebuiſſet, isque Fratris Philippi conjugem in matrimo-

 nium

nium duxiſſet, atq; inceſtum turpiter commiſiſſet, Baptiſta, re compertâ, Regi adulatus non eſt, ſed in publicum prodiit, & absq; privata commonefactione, juxta Chryſoſtomi aſſertum, in medio Foro & magna populi frequentia, facinus illi exprobravit, Matt, 14. ℣. 4. Sic tunc publicè peccantes, licitè, (quoad jus divinum) etiam publicè corripiebantur.

Nunc paucis ad rationes ſuperius adductas, quæ præviam, neſcio quã, inquiſitionem ſuadere videbantur. Et quidem ad 1. Omninò conveniens eſſe ſtatuimus, ut in occultis criminibus judiciarius ordo obſervetur, & in neminem ſententia feratur, niſi reus aut ipſe de ſe confeſſus, aut per innocentes teſtes convictus fuerit, can. judex C. 2. q. 1. & hoc ideò, ne vel innocentia inſidiis accuſantium pateat, vel culpa delinquentium juſti examinis ſententiam effugiat, can. Quæ Lotharius. C. & Q. iisdem: At de manifeſtis & notoriis, cum culpa ſub oculis omnium ſponte ſe ingerit, alia ratio eſt. ibi enim ulteriore inquiſitione & examine opus non eſt, cum nec calliditate accuſantium reus tunc poſſit opprimi, nec tergiverſatione proprium crimen celari. ſic Paulus inceſtuoſum Corinthium, ſine privato examine, de cœtu fraternitatis expulit: in qua re neq; confeſſione, neq; teſtibus opus erat, neq; tergiverſatione crimen poterat tegi, quia publicè Novercam ſuam, locò Uxoris, habebat, C. manifeſta. ibid.

Ad 2. Si quis Concionatorum, occaſione loci iſtius Evangelici, ſuperfluam operam velit impendere, & monere prius publicum peccatorem tam de propriis delictis, quàm de ſui ipſius paſtoralis officii partibus, quibus ſalvis nō poſſit non publicè peccantem publicè corripere &c. quàm perpetrata & notoria illius delicta de cathedra ſpargere; non multùm refragabimur. cautela eſt abundans, ſed nihil nocens: interim hoc addimus, neceſſitate hujus loci minimè eo illum compelli. quippe qui, propriè, de privatis duntaxat agat offenſis, quibus, duo fratres in Chriſto, inſciâ adhuc Eccleſiâ, invicem ſint colliſi; & hos inter ſe potius, obſervatis præſcriptis iſtis gradibus, componi debere, quàm eliminari, ambabus largimur, freti ipſius etiam Auguſtini conſenſu, qui ſic inquit: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum. Quare? quia peccavit in te. Quid eſt, in te peccavit? Tu ſcis, quia peccavit, quia enim ſecretum fuit, quando in te peccavit, ſecretum quære, cum corrigis, quod in te peccavit. Nam ſi ſolus nôſti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, ſed proditor, T. X. de Verbis Dom. in Evang. ſecund. Matth. ſer, 16. col. 71.

Ad 3. in qua confunditur factum cum jure. Non enim attendēdū eſt, quid fiat, aut quid fieri poſſit, ſed quid fieri debeat, hoc nempè, ut publicè correptus de notoriis & pervulgatis ſuis delictis, criſtas ſubmittat, propter

lapſus ſuos doleat, erga Deum & Eccleſiæ *Præpoſitos* deprecationem inſtituat, à malo recedat, & per ſeriam pœnitentiam in rectam viam redeat; non verò, ut cum Paſtore ſuo expoſtulet, ipſum in jus vocet, litem intendat, multò minus ad palinodiam adigat. Hoc enim directè pugnaret cum obſequio & reverentia, quibus ovis fideli ſuo *Paſtori*, vi quarti præcepti, obſtricta eſt. Quod ſi contrarium eveniat, noverit viciſſim Magiſtratus, quid ſui ſit muneris, nimirum, immorigerum & injurioſum iſtum geminâ pœnâ afficere: ſemel, propter delicta, de quibus ne quidem corripi voluit; & iterum, propter irreverentiam & indignitatem, quam ſuo Paſtori intulit, atq; unà officium hujus quantum in ſe fuit, pedibus conculcavit & labefactavit. Quod ſi tantus metus, declinandæ infamiæ, delinquentem invaſit, cur nō potius ab ipſis delictis abſtinuit, per quæ tali reprehenſioni anſam præbuit? illa enim infamant; hæc verò medetur & ſanat. Huc pertinet illud Bernhardi ex Cant. c. 2. *Cum carpuntur vitia, & indè ſcandalum oritur, ipſe ſibi ſcandali cauſa eſt, qui fecit, quod argui debeat: non ille, qui arguit.*

4. Ratio, merâ laborat fallaciâ Accidentis, quod ſuas partes obeunti attendendum non eſt. quemadmodum enim Artifex, ſi, juxta artis ſuæ præcepta, opus abſolvat, eo contentus eſt, quòd fecerit, quæ debuerit, incurius, quid ex obliquo poſſit contingere: Sic Miniſter *Eccleſiæ*, ſi publicas ſuas reprehenſiones ritè inſtituerit, & in eo præſcriptam Verbi normā non exceſſerit, acquieſcat in eo, quòd nihilomiſerit eorum, quæ facere debuerit, incurius, qualis inexſpectatus conſequatur eventus. Loquêris tu verba mea ad eos, ſive audiant, ſive ceſſent: quoniam rebelles ſunt, inquit *Dominus Ezech.* 2. ℣. 7. Si quis perrexerit in ſua contumacia, & frangi malit, quàm flecti, de ejus manu noverit Dominus requi ere ſanguinem. morietur ille in iniquitate ſua, quia non aliter voluit: Tu verò liberaveris animam tuam!

Concludimus itaq; hunc caſum verbis D. Gregorii, ex Regiſtro ejus deſumtis: Manifeſta peccata non ſunt occultâ correctione purganda: ſed palàm ſunt arguendi, qui palàm nocent, ut, dum apertâ objurgatione ſanantur, hi, qui, eos imitandô, deliquerant, corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur: & melius eſt, ut pro multorum ſalute unus condemnetur, quàm ut per unius licentiam multi periclitentur.

# SECTIO TERTIA
## DE
# CASIBUS, STATUM OECONOMICUM ATTINENTIBUS.

## *CASUS I.*

### Utrùm Chriſtianus aliquis, bona cum conſcientia, poſſit inire matrimonium?

Forſitan hic Caſus, uni alterique, poſſet videri ſuperfluus, cum totus Mundus in matrimonium contrahendum conſentiat, & ſic non tam verbis, quàm factis in affirmantem ſententiam [illegible]eat: Verùm cum tot extent oſores & obtrectatores, tam inter Ethnicos, quàm ipſos Chriſtianos, qui ſtatum matrimonialem carpant, calumniis proſcindant, execrentur & diris devôveant, & eo ipſo teneris conſcientiis magnum negotium faceſſant, easque non levibus ſcrupulis onerent, operæ pretium fuerit, Conjugium ab hujusmodi obtrectationibus vindicare, perplexas conſcientias extricare, easque in veritate & tranquillitate animi confirmare & conſervare, quòd videlicet non modò licitè agant, ſed & pium opus faciant, ſi matrimonium ineant; & legitimam tumbam ſibi comparent, quâ queant affectus cõtumulare ſuos.

Quis enim neſcit, quid Theodoſius & Valentinianus Impp. Apollonio reſcripſerint? L. unica. C. de imponenda lucrativa deſcriptione: Nec enim, inquiunt, juris optimi eſt, matrimoniũ cum tot tantisque ſuis difficultatibꝰ opprimatur. Cũ tempore Auguſti, Ordines, neque Metelli autoritate, neque Cenſorum imperiis, ad ducendas uxores compelli poſſent, ipſe Auguſtus ſuam autoritatem interponere, & de maritandis Ordinibus Legem publicare voluit: ſed ei tantô cum impetu interceſſum eſt, ut, præ tumultu recuſantium, legem iſtam proferre non potuerit, niſi ademtâ demum, lenitaque parte pœnarum, & vacatione triennii datâ, auctisque præmiis; adeò nimirum abhorrebant incommoda matrimonii, de quo Sueton. in August. c. 34. Claudius Imperator, quòd matrimonia, minus ex voto, ſibi cederent, pro concione apud Prætorianos ſanctè recepit, ſe permanſurum eſſe in cœlibatu: ac niſi permanſiſſet, non recuſaturum, confodi manibus ipſorum, ſimiliter apud Sueton. in Claud. c. 26. Hipponactes olim dicere ſolebat, binos eſſe cum uxore jucundos dies, alterum, quó ducatur; alterum

terum, quo efferatur, apud Stobæum ſerm. 67. A quo nec Poëta abludit, cum ait:

*Semper habet lites, alternaq́; jurgia lectus,*
*In quo nupta jacet, minimùm dormitur in illo,*
*Plus fellis, quàm mellis habet!* Quibus fortè ſuperiore tempore permotus Caſtrucius Caſtracanus Lucenſis, laudare ſolitus eſt eos, qui uxores verbis, non re ducerent, perinde ut eos, qui navigare inſtituunt, mox tamē, periculi timore deterriti, reſiliant, & quod verbis ſæpè promittunt, reipſa nunquam expediant, ut refert Machiav. in vita Caſtrucii.

Sed & Patres præterea, plus æquò affectibus indulſiſſe, & Conjugio paulò iniquiores extitiſſe, non tantùm ex his verbis Baſilii liquet quibus Nuptias indigitat *Pedicas*, in proœm. Conſtitutionum Monaſt: ſed cum primis ex Hieronymi, quæ allegantur in c. Qui ſitit. C. 33. quæſt. 5. ad hunc modum: Qui ſitit, veniat & bibat, qui poteſt capere capiat. non dicit, velitis nolitis, bibendum vobis eſt, atque currendum: Sed, qui voluerit, qui potuerit currere atque potare, ille vincit, ille ſatiabitur.: & ideò plus amat virgines Chriſtus, quia ſpontè tribuunt, quod ſibi non fuerat imperatum: majorisq; gratiæ eſt, offerre quod non debeas, quàm reddere, quod exigeris. Apoſtoli enim uxoris onere contemplato, ſi talis eſt, inquiunt, vita hominis cum uxore, non expedit nubere. quorum Dominus ſententiam probans, rectè, ait, quidem ſentitis, quòd non expediat homini, ad Cœlorum regna tendenti, accipere Uxorem.

Iniquiſſimi verò Conjugio ſunt Jeſuitæ, qui, cœco amore Virginitatis abducti, in contraria currunt, &, neſcio, quibus ſarcaſmis illud excipiunt, prætendentes, quòd 1. prohibeat, quominus purè & probè ſerviatur Deo, apud Bellarm. l. 2. de Cleric. c. 32. in reſp. ad rationem 5. & 6 quòd 2. impediat ſtudium lectionis & orationis, l. 1. de Cl. c. 19 ꝙ 3. reddat hominem totūm carnalē & ineptū ad divina, ibidē præcedente c. 18. & ne de ſolo actu conjugali id accipias, ſequente iterū c. 19. in rat. 5. de toto Conjugio repetit, ꝙ 4. animam ipſam quodammodò carnalē efficiat. Item, ꝙ 5. opponatur caſtitati, 1. de Cler. c. 18. ꝙ 6. continentiæ, c. 19. quòd 7. virtuti, l. 2. c. 32. & ſi qui ſunt tales floſculi plures. At quis eſt, qui talia fando audiens non exhorreſcat, & decies malit matrimonium averſari, quàm ſemel hujuscemodi enormitatibus implicari?

Sed hæ atq; ſimiles affaniæ facili negotio poſſunt refelli. Annon enim Conjugium ipſius Dei opus eſt? Gen. 1. ℣. 28. quid verò Scriptura de operibus Dei pnunciat? vidit Deus omnia quæ fecerat, & omnia erant valde bona, Gen. 1. ℣. 31. Annò Chriſtus non tantùm primævā Conjugii inſtitutionem approbat, Matt. 19, ℣. 4. ſed & Neonymphos ſuâ præſentiâ cohoneſtat,

eosq; egregio nuptiali dono mactat? Joh. 2. ℣. 8. neutrum facturus, ſi conjugium ex ſe vel improbum vel vituperatione foret dignum. Annon & Paulus ſuos Corinthios informat, quòd qui filiam ſuam nuptum det, non peccet? 1. Cor. 7. ℣. 38.

Nec in hoc ſibi diſſimilis, quando paulò ante dixerat, bonum eſſe homini permanere in virginitate, & mulierem non tangere, ℣. 1. & 26. nam non eo ſenſu dixit, quaſi malum eſſet conjugium: ſed, licet Virginitas & Conjugium duo bona, ita tamen ſint comparata, ut unum altero ſit melius i.e. minus moleſtum, minus incommodum: ideò uſurpat nomen συμφέρον, ℣. 35 συμφέροντα autem commoditates denotant. Atq; ſic *Paulus* ſeipſum explicat, ℣. 38. qui dat nuptum, benè facit, qui non dat nuptum, melius facit. Melius verò, κατ᾽ προσθήκην, propter neceſſitates nimirum & graſſantes perſecutiones, ℣. 26. quibus ſufferendis aptiores eſſent cœlibes, quàm conjuges. Quis enim negabit; perſecutiones & exilia facilius laturos, qui ſoli ſint, & à vinculis matrimonialibus adhuc liberi, quàm qui uxoris, liberorum & familiæ curâ implicati? Hinc addit Apoſtolus: *Quæ nubit, multis ſe exponit tribulationibus; Ego verò libenter vobis parcerem*, i.e. & in domeſticis moleſtiis eſtis conſtituti, & inſtantibus calamitatibus ac perſecutionibus expoſiti: *Ego verò libenter melius vobis vellem*, ut, ſi non utrovis, ſaltem alterutro eſſetis exemti, ne, ſub duplicato onere gementes, tandem deficeretis & fidei naufragium faceretis, 1. Cor. 7, ℣. 28.

Conſiderate quæſo mecum, quantam perniciem illaturus ſit tam Eccleſiæ quàm Reipublicæ, qui humana pectora offenderit, eaq; à contrahendo matrimonio abſterruerit. Primarius utiq; finis Conjugii eſt procreatio ſobolis, quâ Eccleſia & conſtituatur & conſervetur, nec non Reſp. conſtabiliatur & promoveatur. Tolle conjugium, & cum tempore non erunt in Eccleſia, qui Deum agnoſcant & celebrent, nec, qui olim in cœleſti curia tantô cum numerô eundem glorificent: Tolle conjugium, & cum tempore evacuabuntur Civitates, & non erunt; qui minimùm incurſioni belluarū obſiſtant, nedum qui imperent, aut qui pareant. Quod intelligens Auguſtus licet Ethnicus, in hæc verba, Ethnico penè digniora, provehitur: *Ego ô, Cives, veſtrûm multos ſimiles cupio acquirere, ut penates legitimos habitantes, domosq; plenas progeniei habentes, cum conjugibus liberisq; ad* Deos *accedamus: æquatisq; inter nos iis, quæ in publicum conferuntur, ac qui indè fructus percipiuntur, converſemur*, apud Dionem l. 56. p. 578.

Procul itaq; abeant, qui, vel ad inſtar Manichæorum, Conjugium penitus improbant: vel, in ejus contumeliã aut detrimentum, cœlibatum infarciunt aut evehunt. Nàm & homicidium eſt, quod faciunt, qui eos ne quidem gignunt, quos naſci ex ſe conveniebat: impietatis ſe obligant, dum

nom-

nomina ac honores Majorum ſuorum ceſſare cogunt: ſacrilegium committunt, dum gratia ſua, â Diis immortalibus monſtrata, abolent: maximum donariorum iis ſacrorum, humanam naturam peſſundant, eoq; Tēpla eorum arasq; evertunt : quin etiam Civitatem diſſolvunt, Legibus non obtemperantes: produnt patriam ſuam, ſterilem eam atq; infœcundā reddentes, imò verò funditus eam demoliuntur, dum poſthac habitatorib⁹ illam orbant, verba ſunt ejusd. Auguſt: l. cit. p. 575.

Quæ verò ſuperius in Conjugium paulò licentius (ne quid dicam gravius) prolata ſunt, ea partim concilianda, partim repudianda. Concilianda, quatenus non ſimpliciter, ſed, ſecundum quid, erant intellecta, nempe Matrimonium Imperatoribus non optimi juris viſum, imò Ordinibus Romanis, aliisq; inviſum appàruiſſe, non in ſe, ſed propter onera, â Legibus impoſita; item, propter difficultates, moleſtias & incommoditates, quæ ex variis cauſis oriuntur, & hunc ſtatum præ aliis undiq; circumſtant. unde cōmunis vox apud Germanos invaluit, Eheſtand heiſſet billich ein Weheſtand! Quod ut non diffitemur. nemo enim unquam tam propitios habuit Deos, utut matrimonium circumſpectiſſimè auſpicatus ſit, ut in eo, â novercantis fortunæ turbine, prorſus fuerit tutus atq; immunis : Sic ſatis cauſæ eſſe non putamus, ut eapropter illud aliquis exhorreat, aut penitus ab eo abſtineat, quin, teſte Clemente Alex. 3. Stromat. in charitatem peccare neceſſe fuerit, quisquis propter moleſtias à conjugio abhorruerit, & educationem liberorum effugerit. Sed præſtat ſuper hac re audire deciſionem Imperatoriam D. Auguſti, ſæpè, nunquam verò absq; laude commemorandi, dum ita inquit: Ne quis putet, ignorare me, eſſe quædam, etiam in matrimonio & Liberorum procreatione, difficilia ac moleſta: ſed hoc cogitate, quùm nullum bonum habeamus, cui non aliquid acerbi admixtum ſit, tum plurimis & optimis bonis, adnata eſſe plurima etiam ac maximè inſuavia; quæ ſi declinare velitis, ne bona quidem appetenda vobis erunt, quando ad virtutem ac voluptatem nullam ſinceram perveniri poteſt, niſi, in ea paranda, obtinenda ac ſervanda, labor impendatur. Quæ ſingula prolixè referre quorſum attinet? Quin ſi etiam in conjugio & ſuſcipienda prole quædā ſunt moleſta; meliora cum iis conferte potius, & ea plura, magisq; neceſſaria invenietis, apud *Dionem* l. 56. p. 577.

Ego de meo addo, cum incommoda Conjugii ita ſint comparata, ut ei eſſentialiter non inſint, ſic vel poſſe mitigari, vel corrigi ac prorſus diſpelli: mitigari, patientiâ. nam levius fit, ſi bene fertur onus : corrigi ac diſpelli, benevolentiâ & amicâ interpellatione. Hæc enim plurimùm valent ad inferendum virtutis ſtudium, permulcendosq; animos, potiſſimùm muliebres, inquit alicubi *Livius*.

Repudianda verò ſunt, cùm *Patrum* ὑπερέχοντα, tùm Jeſuitarum cavilla. *Patres* enim vel non ſatis intellectâ *Scripturæ* phraſi, vel amore ſolitudinis effaſcinati, multa ſcripſerunt in præjudicium Conjugii, quæ procul dubio, non ſcripſiſſent, ſi animus eorum â paſſionibus fuiſſet purificatus. Legentes enim in Scriptura, nonnullos ſeipſos caſtrare, propter regnũ Dei, Matt. 19. ℣. 12. concluſerunt protinꝰ, ad Cœlum aſpiraturos oportere â Cõjugio abſtinere. *Cum Christus* ſermocinetur nõ de quibusvis, ſed de iis, qui continentiæ donô, divinitꝰ conceſsô, polleant, ſive, quibus datum ſit, ut ſeipſos caſtrent, non ad regnũ Cœlorũ acquirendũ, ſed ad faciliꝰ obeunda pietatis exercitia. Iſtam enim explicationẽ ſuppeditat Apoſtolꝰ, 1. Cor. 7. ℣. 32. qui cœlebs eſt, curat ea, quæ ſunt Domini, quomodo placiturꝰ ſit *Domino*. *Sit* ſolitudo in honore. neq; enim debitâ laude eam ſpoliabimꝰ: ſi tamen tanti roboris nõ ſit, ut carnis æſtum extinguat. quid n. Hieronymꝰ? annõ ita in eremo ſe maceravit, ut caro vix oſſibꝰ hæreret? & tamẽ conqueritur, q; libidinũ incendia ebulliverint, epiſtola ad *Euſtoch.* & in jure *Canon.* allegatur ex eodẽ: Si Paulꝰ, poſt nuditatem, jejunia, fames, carceres, flagella, ſupplicia in ſemet reverſus, ob carnis aculeos & incentiva vitiorum exclamare coactus eſt: infelix ego homo! quis liberabit me de corpore mortis hujus? quomodò te putas ſecurum fore, (utut maximè ſolitarium?) c. ſi Paulꝰ. c. 32. q. 5. Præſtare, nos exiſtimamus cum D. Paulo, honeſtô jungi matrimoniô, quàm perpetuô illecebrarum torqueri incendiô, ex 1. Cor. 7. ℣ 9.

Jeſuitæ, ſtudiô partium abrepti, ut Ordinem ſuum ſacerdotalem, de quo ſciunt, quod nulli ad eum pateat aditus, niſi Cœlibi, per can. de *Syracuſanæ*, D. 28. redderent auctiorem, Cælibatum extulerunt; Conjugium contrà probris inceſſerunt & depreſſerunt, planè ad modum iſtius vulgati: Dum vitant ſtulti vitia, in contraria ruunt &c. &, quòd vix aliter fieri poſſet, quin ex nimia commendatione Cœlibatus, ludibrium conjugii inveheretur ac dehoneſtamentum.

Sed meminiſſe eos oporteret, ſic deprædicandam eſſe virginitatem, ut tamen nulla injuria inferatur in conjugalem ſocietatem. Quia utrumq; bonum, & conjugium & virginitas, licet alterum alterô ſit melius, ex Aug. l. de bono Conjugali; & quale judiciũ olim tulerit *Pius* 2. de interdicto Sacerdotũ conjugio, uxores ſacerdotibus majori ratione poſſe reſtitui, quàm fuerint ademtæ. intelligebat nempè ſapiens Pontifex, ſublatis uxoribus minimè actum eſſe, ut non ſacerdotum permulti in ea inciderent mala, propter quæ uxores fuerant ademtæ, ſed longè quoq; ab eis quotidiè agi deterius, verba ſunt Fulgoſi, l. 7. c. 2. quamq; frivola planè ſit ratio, excludere aliquẽ, ab epiſcopali etiã dignitate, ſi ſint ipſi liberi, ex legitimo matrimonio prognati, ob metum nimirum aggravandarum Eccleſiarum, & ob lædendarũ ſacrarum

facul-

Facultatum, ex Conſtitutione 2. Leonis addiſci poſſe, quâ graviter ſancitur, ut ad primarium ſacerdotium promoveri poſſit, qui illo honore alioqui dignus eſt, tametſi liberi ſint ipſi, lege tamen honorati, idq; ſic licere, ut à lege, quæ contradicere auſa fuit, in pœnam audaciæ, perpetuum exigatur ſilentiũ.

Quæ cum ità ſint, concludimus hunc Caſum verbis Gloſſæ Ordinariæ, per os Strabi Fuldenſis, ſic definientis: Virginitas altus mons eſt, ad quem Angelus hortatur. Si quis videt (quicunq; demum ſit, ſive Clericus, ſive laicus) ſe non poſſe conſcendere, maneat in Segor i. e. in legitimo cõjugio. Quia melius eſt, mediocri bono uti, quàm per abrupta libidinis præcipitari, ſuper c. XIX. 17. Gen.

## I I.

## Num bonâ cum Conſcientiâ poſſit contrahi matrimonium diſparis Religionis?

Senſus præſentis Caſus hîc eſt: Utrùm Perſona, quæ de veritate ſuæ religionis certa eſt, cum altera, quam vel ſuſpectã habet de falſa religione, vel ἑτεροδοξίας planè convictam, tůtò contrahere poſſit matrimonium, ut õ ſubinde ſibi dictitet Conſcientia, ſe hoc pactô in leges divinas peccâſſe, Deum in ſe iritâſſe, ac ſibi ſuisq; infauſtas nuptias conciliâſſe?

Multi ſunt, qui putant, nihil referre, cum quocunq; ineatur Conjugiũ, nec attendendam eſſe hæreſin, ſive opertam, ſive apertam, modò cætera ritè ſe habeant i. e. nihil obſtet, quod eſſentialia matrimonii ſubruat, atq; evertat: moti ſequentib. rationibus.

1. Quia in Scriptura nulla extet prohibitio, quà conjugium, cum perſona, hæreſi infecta, inire, ſit interdictum.

2. Quia *Petrus* videatur potius in contrariam inclinare ſententiã, dùm ſcribit: uxores ſeſe ſubjiciant ſuis Viris, ut etiam, ſi qui õ obediunt ſermoni, per uxorum converſationem abſq; ſermone lucrifiant, 1. c. 3. ℣. 1. quomodò autem poſſunt lucrifieri, ſi prius inobedientiæ ſermonis non adhæſerint?

3. Quia hæreſis non ſit ex cauſis, quæ per ſe pugnent cum naturâ Conjugii, alioqui inter ipſos hæreticos nullum poſſet contrahi legitimum matrimonium, & oporteret eos, ad *E*ccleſiam redeuntes, de novo ſuſcipere pacta connubialia: quod hactenus inauditum, & ab omni praxi eccleſiaſtica longè eſt aleniſſimum.

4. Quia ſpes ſit Converſionis, quà, intercedente matrimonio, altera pars, in fide errans, ad frugem reducatur, & ad veram religionem convertatur. Quî ſcis enim an Deus gratiam tibi ſit facturus, ut Conjugis animã lucrari

crari poſſis ? 1, Cor. 7. ✝. 16. Annon Jacobus utramq; uxorem, quas idolis deditas acceperat, ſenſim ad DEI notitiam & veram Religionem deduxit? Gen. 31. annon Joſephus, Socerum & uxorem ſuam, lucrifecit, & in cœleſti veritate erudiit? conjecturam ejus rei facit Pſ. 105. ✝. 22. ubi dicitur, quod conſtitutus ſit â Pharaone Princeps Terræ, ut erudiret *P*rincipes Regni, ſicut ſemetipſum, & Senes ejus doceret prudentiam. Si Principes & Senes erudiit, cur non multò magis Socerum erudiiſſet & uxorem? Monica, Auguſtini mater, annon Maritum ſuum, Ethniciſmo profundè imbutum, patientiâ & prudentiâ ſuâ ab infidelitate liberavit, & ad veram religionem flexit? idipſum Aug. teſtatur l. 9. *C*onfeſſ. c. 9. De Theodelinda, Garibaldi Bavarorum Regis filia, narrat Sabellicus, quòd cum â Gregorio ſanctis præceptis fuiſſet inſtructa, poſtmodùm maritum, Agilulphum, præferocem alioqui virum, dextrè monendo, veritatisq; lucem oculis admovendo, eò pertraxerit, ut omnibus ſuæ gentis autor fuerit, â malorum Dæmonum cultu, deteſtandaq; hæreſi ſeſe vindicandi, l. 5. En. 8.

5. Quia multis hujusmodi *C*onjugia bene ceſſerint, & populo ſuo præſentiſſimam felicitatem alportârint. Eſther juncta Ahaſvero effecit, ut populus Iſraëliticus, jam pænè in acie novaculæ conſtitutus, præſentaneo eriperetur excidio, Eſt. 8. Ataulphus, Gothorum Rex, jam exterminationem comminatus erat urbi Romæ: At, poſtquam pia ejus conjunx, ſe interponebat & intercedebat, Maritum permovit, ut â deſtructione animum deflecteret, & Urbi incolumitatem promitteret, apud Paul. Diac. l. 13.

6. Quia multa ſint Regna atq; Provinciæ, quæ diverſis Religionibꝰ permixtæ, quales inprimis ſunt Germania, Gallia, Ungaria, Polonia; in his vix caveri poterit, quo minus inter homines, religione diſpares, eveniant matrimonia: ob ea verò conturbare conſcientias, & talia conjugia temeraria, illicita & illegitima pronunciare, præcipitis foret judicii atq; temerarii.

Perſpicatiores qui ſunt, & tenellarum *C*onſcientiarum accuratiorem tenent conſiderationem, omnibus modis ab hujusmodi conjugiis dehortantur, inſtructi non minus rationibus ſatis prægnantibus.

I. Quia ſcriptum ſit: Non junges te affinitate cum eis (religione abs te diſſentientibus) filiam tuam non dabis filio ejus, & filiam ejus non accipies filio tuo, *D*eut. VII. 3.

Dices, interdictum loqui de Gentilibus, non de Hæreticis: & eſſe forenſe, reſpiciens ſolos Judæos, non Chriſtianos. Reſpondeo 1. valet argumentum â Minore ad Majus, affirmativè: Si matrimonia fidelium cum Gentilibus ſunt interdicta. Ergò multò magis erunt interdicta cum hæreticis. quia hæretici deteriores ſunt gentilibus, 2. Pet. 2. ✝. 20. 2. *E*ſt qui-

dem

dem interdictum illud forenſe, ſolos judæos reſpiciens, quatenus eorum conjugia, cum Gentilibus jam actu inita & conſummata, vigore hujus interdicti, etiam poterant reſcindi, cujus rei exemplum extat, *Eſr.* 9. ℣. 10. id quod apud Chriſtianos in N. T. per contrariam Chriſti & Pauli diſpoſitionem fuit ſublatum: illius quidem, dum divortii legitimi cauſam nullam aliam conſtituit, quàm adulterium, eo ipſo omnes reliquas cauſas excludẽs, Matt. 5. ℣. 32. Hujus, dum Conjugem fidelem cum infideli cohabitare permittit, 1. *Cor.* 7. ℣. 13. Sed ratio, eidem interdicto ſubjuncta, generalis eſt, adeoq; moralis, omnes omni tempore & loco obligans: Quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me. Hinc enim firmiſſimè concluditur: In quocunq; matrimonio metuendum eſt periculum ſeductionis, illud eſt averſandum. At in matrimonio fidelis cum hæretico (etiam apud Chriſtianos) metuendum eſt periculum ſeductionis, 2. Tim. 2. ℣. 17. *Er.* &c.

II. Quia Joſaphat, pius alioquin Rex, reprehenditur à Propheta Dei, & punitur cùm in ſemine, 2. Reg. 11. ℣. 1. tùm in navibus, 2. Par. 20. ℣. 37. quòd affinitatem contraxerit cum Achabo, elocando filiæ ipſius Athaliæ filium ſuum Joram, 1. Reg. 8. ℣. 18. *Ergò* meritò hæreticorum *Conjugia* ſunt fugienda. Connexi firmitas hæc eſt: quia quod Chriſtianis ſunt hæretici, Illud Iſraëlitæ erant Domui Juda, h. e. aliquid commune cum Juda adhuc habentes, puta carnis circumciſionem, Sabbathi celebrationem, & victimarum oblationem: ſed in ratione cultus, Deo placentis, ab iisdem diſcrepantes. Conſequentia verò hinc patet: quia quod reprehenſionem & pœnam divinam incurrit, ità comparatum eſt, ut meritò intermittatur ac devitetur.

III. Quia Johannes inquit: Si quis venit ad Vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum in domum, nec ave ei dicite, 2. Ep. ℣. 10. & Paulus: Hæreticum hominem devita, Tit. 3. ℣. 10. *S*i Erro ne quidem ſub tectum recipiendus, quomodò, interveniente matrimoniô, jus habitationis, tori & menſæ, cum eo participabis? Si devitandus eſt, quomodò auſcultas Apoſtolo, ſi in conſortium aſſumis, cumque perpetuum vitæ ſocium tibi conſtituis?

IV. Quia Vidua jubetur nubere in Domino, id eſt, interprete Remigio, fideli ſe miſcere Viro, 1. *Cor.* 7. ℣. 39. Quomodò verò fideli & in *Domino*, ſi falsâ ſuâ doctrinâ ac hæreſi ſeceſſionem fecerit â *Domino*? Exclamavit olim, ob autoritatem hujus loci, *P*ollentius apud Aug: Hoc eſt Chriſti præceptum, ut non niſi unius religionis & fidei fiant conjugia, l. 1. de adulterinis Conjugiis, c. 21.

V. deniq; accedit ratio, triplici nodô corroborata. 1. quia talia cõjugia peccant in pietatem, quæ â Conjugibus unanimiter deſiderat exerceri:

 quo-

quomodo verò unanimiter, ſi in altero fidei integritas, quæ præcipua pietatis pars eſt, deficiat? quomodò unanimes effundētur preces, ſi una pars verũ Deum adoret, altera idolũ, quod in depravato ſuo ſenſu pro vero Deo ſibi fabricata eſt? quomodò charitatē unanimiter præſtabunt, ſi in altero cōjuge, ob diſſonantiã fidei, charitas Dei vel frigeſcat, vel planè exoleſcat? Ambroſius ſanè nunquam credidit, congruere charitatē ſi fides diſcrepet, l. 1. de Abrahamo, c. 9. Deindè quia peccant in vitam. nam vix poteſt fieri aliter, quin ex diverſitate Religionis inter Conjuges rixæ ſubindè oriantur atq; litigia. Omne enim impar diſſidet, inquit Auſonius: & licet Vir non oderit uxorem ob amorem, veritas tamen odio proſequetur errorem, & excitabit horrorem. exemplo eſt Theophilus Imp. qui licet nullam cauſam habuerit diſſidendi cum Conjuge, ſolum tamen Iconomachiæ ſtudium effecit, ut quamdiu viveret, amicè tamen cum Theodora ſua ſibi nunquam conveniret, teſte Zonara in Theophilo. At quid rixæ & litigia? annon corporis & vitæ humanæ ſunt diſpendia? III. deniq; quia peccant in ſobolem, quam cũ oporteat, ab utroq; Parente, pari ſtudio, educari in remediis ad ſalutē conſequendam neceſſariis, fit, ut tantum ab Errante impediatur ac ſeducatur, quantum à Credente excitetur & promoveatur, imò facilius ab iſto, quàm ab hoc. nam, vel Seneca teſte, pejora juvenes facilè præcepta audiũt, in Thyeſte, Act. 2. p. 299.

Inde ſatis ſuperq; apparet, talia diſparis Religionis conjugia, nocere Animæ, ob pietatem periclitantem: nocere Corpori, ob diſcordiam turbantem & exulcerantem: nocere liberis, ob errorem repullulantem & ineſcantem.

Pro deciſione notandum I. bonam Conſcientiam, in hoc caſu, reſpicere non tam illicitum eſſentiale, quàm accidentale i. e. talia matrimonia ſtatui, bonâ Conſcientiâ non poſſe contrahi, non quaſi contractus eorum eſſet infirmus aut irritus: cui nihil decedit apud quosvis homines, cujuscunq; ſint conditionis, aut religionis, dummodò perſonæ contrahentes ad matrimoniũ ſint aptæ, & præſtent, quæ leges omniũ gentium in hoc genere efflagitent: Sed quòd honeſtas & pietas tum haud parum periclitetur, ſi cum quolibet, etiã ſpretô religionis diſcrimine, fœdera talia pangantur, & diverſæ religionis pectora jugali votô connectantur. Scandala enim ſubindè exoriuntur, & rectè credentis fides, Zelus, aliaq; pietatis exercitia, vel profligantur vel ſufflaminantur.

2. Reſpectum hîc haberi ad matrimoniũ contrahendum potius, quàm ad contractum i. e. ſi res adhuc ſit integra, tunc non benè poſſe contrahi matrimonium, cum perſona diſparis cultus & religionis. quia hujuſmodi conatus, conjunctus ſit cum periculo pietatis, honeſtatis & utilitatis: Quod ſi

verò

verò contractũ jam ſit matrimoniũ & conſummatũ,& ignota prius alterius conjugis ἑτεροδοξία prodeat in lucem, vel novus inter conjuges oriatur religionis diſſenſus, tum, prætextu iſtius diſſimilitudinis, non oportere matrimonia irritari, aut divortia fieri, cum ob autoritatem Apoſtolicam: Si quis frater uxorem habet infidelem, quæ conſentiat ad habitandum cum eo, ne eã dimittito, 1. Cor. 7. ℣. 12. tum ob geminam rationem. I. quia conjugiũ eſt res externa, & õ pertinet ad ſpirituale juſtitiã. Ergò õ magis impediet fidẽ, per ſe & ſuo genere, quàm alij contractus cum Turcis & aliis infidelibꝰ initi, ſi rectè & legitimè, h. e. bonâ fide inter illos ſit conventũ. II. quia in honorẽ matrimonii multa tolerantur ex poſt facto, quæ reijcerentur à principio, juxta verſum: Impediunt fieri, permittunt facta teneri!

Quibus probè obſervatis, facilior erit reſponſio ad rationes in contrarium adductas. Nam in 1. negatur Minor, quod conjugium cum hæretico inire, in Scriptura non ſit prohibitum, ſaltem implicitè. Si enim falſâ doctrinâ afflatus, non eſt ſub tectum recipiendus, ſed omni modo devitandus: utiq; nec in matrimonium erit aſſumendus. ratio eſt, cui adimitur genus univerſaliter, non recipere ſub tectum, ſed omni modo fugere & vitare, eidem adimitur ſpecies, etiam in matrimonium non aſſumere, ſed pacta ejus connubialia averſari.

2. Loquitur de matrimonio contracto. Docet enim S. Petrus uxores, quid facere debeãt, ut ſuos etiam maritos, in Conjugio quidẽ ſecũ conſtitutos, ſed Verbo prædicato adhuc infenſos lucrifaciant, & erga chriſtianiſmum propenſiores efficiant, nempè, ſi maritis obſequantur, caſtas, manſuetas, nimii ornatus incurias, bonorum v. operum ſtudioſiſſimas ſeſe exhibeant. ſic enim fore, ut mariti, tam piam & ſobriam earum converſationem videntes, de odio religionis chriſtianæ aliquid remittant, & ſucceſſu temporis, ſecundum media, divinitus ad inducendam Converſionem ordinata, propius ad Chriſtianiſmum accedere incipiant & tandem lucrifiant. Nobis autẽ ſermo eſt de matrimonio contrahẽdo: undè ſatis liquet diſſimilitudo.

In 3. non dicimus, quòd hæreſis per ſe pugnet cum natura Conjugii, aut tale quoddam ſit vitium, quod contractui matrimoniali ita directè ſit oppoſitum, ut hic ſalvus eſſe non poſſit, quamdiu durat hæreſis in perſona, cum qua iſte contractus â rectè credente eſt initus. Contra hoc enim ſubſiſtunt cauſæ, in eadem ratione adductæ: Interim tamen nec hoc poteſt negari, quòd tale matrimonium, grandi non careat nævo, non quantum ipſum ejus contractum: ſed quantum alterum contrahentem attinet, qui cũ ſit rectè credens, nec ſibi benè conſulit, nec alios inoffenſos relinquit, dũ tale conjugium minus prudenter eligit: Si tamen ſemel contractum eſt, manet ſalvum, ratum & incolume, donec mors, falce ſuâ armatâ, diſſolutionem

tionem faciat. Theologi, pro ulteriore hujus rei declaratione, adducunt ſimilitudinem de Miniſtris *Eccleſiæ*. Illis negotiationes, & civilium rerum tractationes ſunt interdictæ, adeoq; illicitæ, 2. Tim. 2. ℣. 4. utpote Ordini ipſorum non modò indecoræ, ſed & periculoſæ. quia abducunt â partibus miniſterii ritè obeundis, & aliò cogitationes & ſtudia eorum deflectunt: Quid ſi tamen fiat, ut cum Miniſtro aliquo ejusmodi contractus ſit initus, e. g. emtionis, venditionis, locationis &c. ille manebit ratus & firmus, etſi in altero contrahentium, nempe in Miniſtro, vitium haudquaquâ deſit, quippe qui limites officii exceſſerit, & hoc ipſo commiſerit, quæ vocationi ejus *Eccleſiaſticæ* ſint indecora. Similis ratio, inquiunt, eſt in Conjugiis, â Diſparibus in religione contractis; hæc rata habentur & firma, quoad ipſum contractum, licet, in contrahente orthodoxo, nævum ſatis inſignem & deprehendi & reprehendi oporteat.

Quod quartam attinet, nempe ſpem *Converſionis* in aberrante, ea valdè lubrica eſt, & plurima exempla eunt in contrarium, quòd rectè credentes ab errantibus potius fuerint ſeducti, quàm errantes â rectè credentibus in planam viam reducti. Intuere modò primam Patriarcharum progeniē, Scriptura filios DEI nominat. Hi ut primùm cœperunt conſueſcere cum filiabus hominum, ſtatim, pulcritudine earum capti ſunt, & elegerunt ſibi in uxores, quas voluerunt: iſthac autem occaſione ſic degenerârunt, ut, pænè caro facti, omnem *Spiritus S.* gubernationem excuſſerint, Gen. 6. ℣. 3. Salomon (hui! quantus Sapiens? 2. Par. 2. ℣. 12.) ab alienigenis uxoribus ſic expugnatus eſt, ut non tantùm Altaria Idolis earum erexerit: ſed & ipſe, in ſenectute ſua, poſt Aſtheroth, DEUM Sidoniorum, & poſt Melchom, abominationem Ammonitarum, abierit, & malum fecerit in oculis Jehovæ, 1. Reg 11. ℣. 5, 6. Joſaphat contraxerat affinitatem cum Achabo, elocando filium Achabi filiæ, nec mora, ut Joſaphat diem obierat, Joramus, filius Joſaphati, reliquit viam *Patris*, & ingreſſus eſt veſtigia Iſraëliticæ ſuperſtitionis. qui ſic? audi Scripturam dicentem: quia Athalia filia Achabi, erat uxor illius, 2. Reg. 8. ℣. 18. Si hoc accidit in ligno viridi, quid fiet in arido? Ergô ſpem tantô pretiô non emero. Namq;,

*Fallitur augurió ſpes bona ſæpè ſuô!*

Quinta ratio recenſet aliquot commoditates, quæ ad hujusmodi Conjugia conſequantur: quas equidem non nego, interdum contingere: ſed fit illud ex mero accidente, dum DEUS talia fieri permiſit, ut indè bonum eliceret. Et valdè vereor, ſi incommoditates lanci imponerentur, & cum commoditatibus æquis ponderibus examinarentur, ne incommoditates præponderarent longè exuberantiſſimè. Sufficiat, unius exempli in Valente Imperatore meminiſſe: Hic primùm erat Catholicus: at, poſtquàm *Eu-*

doxiam

doxiam duxit in uxorem, factus eſt Arianus, & non tantùm ipſe poſtmodū hanc hæreſin fovit: ſed & Orthodoxos, decem integris annis, in Aſia & Aphrica horrendis ſuppliciis afflixit, teſtibus Socrate l. 4. c. 38. Theodoreto l. IV. 36. Sozom. l. 7. c. 40. Hæ ſcilicet commoditates ſunt, quæ ex diſpari conjugio repullulaſcunt!

Ultima ratio innititur exemplis, quæ accidunt in privilegiatis nonnullis Regnis atq; Provinciis, ubi, propter tranquillitatē & bonum publicum, non oportet præfractè contueri privatum, etſi interdum cum aliqua iniquitate videatur eſſe conjunctum. nam id omne, publicâ utilitate repēditur: Hoc tamen præcavendùm ſedulò, ne pars adhuc munda, in gratiam alterius Conjugis, priorem ſuam religionem deſerat, & in aliud religionis genus deflectat: ſed, absq; perverſionis periculo, in recta fide permaneat, & conſtante animi propoſito, DEO, ad ſalutem ſuam, liberè & intemeratè deſerviat. DEI enim ſenſus & cultus plus valeat, quàm Pater & Mater, Uxor & Maritus, qui quidem ſincerè diligantur. ſed ità, ut Superi ſemper illis præferantur, juxta decretum Chriſti, Matt. X. 37.

Quæ cum ità ſint, omnes rectè ſentientes admonitos volumus, ut, cum ὁμοψήφων copia adhuc ubiq; reperiatur, intempeſtivè & ex veſano amore non provolent ad Conſortem impium, & â religione ſua alienum: ſed qui illis, ut dignitate & ætate, ſic religione etiam & pietate, ſit compar, eundē DEUM venerans, & eadem ſacra atq; profana, individuâ communione participans. Sic animus eorum â morſibus conſcientiæ erit liberior, & in mutuo amore ardentior: benedictio divina erga eos propenſior: & prolis educatio fructuoſior, ac tandem ſalutis æternæ poſſeſſio infallibilior, qui vix unquam periculoſior, quàm, ſi inter eos, fidei & religionis profeſſio ſit diſcolor &c.

## VII.

## Utrùm â Liberis conjugium, absq; Parentum conſenſu, bonâ cum conſcientiâ, poſſit contrahi?

Non minus verè, quàm pulcrè ſcribit D. Erneſt. Cothmannus JC. celeberrimus, Jus divinum, naturæ, gentium & civile præcipere, ut Liberi parentum conſenſum in nuptiis adhibeant, in primis propter pietatem & reverentiam, ipſis parentibus debitam: item, ne malitioſis hominibus via aperiatur, liberos, ſub prætextu matrimonii, è parentum manibus eximendi, & in irreparabile exitium præcipitandi: & denique, ne in re graviſſima, quæ nihil majus veretur, quàm retractari, aliquid inconſultius occurrat,

cujus, ex poſt facto, liberos fruſtrà pœniteat, Vol. 1. Reſponſo X. n. 11. Et alio in loco, idem pronunciat, parentum conſenſum pertinere ad matrimonii ſubſtantiam, & ipſi contractui matrimoniali eſſentialiter inhærere, neq; unquam abeſſe poſſe, ſine manifeſta violatione quarti præcepti, parẽtes honorare jubentis: & juris naturæ, reverentiam & obedientiam parentibus exhibere præcipientis, Vol. eod. Reſp. 86. n. 58. Additq; ibid. n. 80: Utriusq; parentis eadem hîc eſt ratio, cum utrumq; parentem honorandũ eſſe Jehovah, Legislator juſtiſſimus & ſapientiſſimus, ſeverè mandet, & utriq; parenti honorem natura tribuat. nam inter matrem & filium pietatis ratio, ſecundum naturam, ſalva eſſe debet, inquit Ulpian. L. 1. §. 1. ff. de obſequiis Parent. & Pat. præſtand: Sed & Leges civiles, utriq; æqualem reverentiam & pietatem deberi, ſanciant. ſic enim expreſsè legitur L. furioſæ. ff. de Curatoribus furioſo &c. pietas parentibus, etſi inæqualis eſt eorum poteſtas, æqua debebitur. Denique, quæ ex parte matris deeſt ratio civilis, in patria poteſtate & jure agnationis conſiſtens, ea profectò alia ratione graviſſimâ compenſatur & ſuppletur, dum filius matri, ante partum, oneroſus, in partu, doloroſus, & poſt partum, laborioſus eſt. Quod officium, planè admirandum, ſi filius non agnoſcat, ſed matris conſenſum, in matrimonio cumprimis contrahendo, & in Nuru deligenda, repudiet, filii nomine, imò hominis appellatione, prorſus indignus ſit oportet.

Conſentiunt in hoc orthodoxi etiam Theologi, & Parentum conſenſum requirunt, non modò ad honeſtatem, ſed etiam ad neceſſitatem: non tantùm ad benè eſſe, ſed etiam ad ſimpliciter eſſe legitimi conjugii: & ſubindè repetunt canonem Baſilii, qui habetur in jure Græco-Romano, in reſponſis matrimonialibus Matthæi Monachi: Quicunque in aliena poteſtate ſunt, eorum pacta nihil habent firmitatis: propterea, etiam quæ nuptiæ citra voluntatem fiunt eorum, penes quos poteſtas eſt, pro ſcortationibus habentur! Varia eorum judicia & Deciſiones reperire eſt apud Georg. Dedekennum, Vol. 3. Conſil. Theol. l. 2. de Sponſal. ſect. 3. & 4. p. 87. & ſeqq. quà induſtrium auditorem remittimus: Nos potiora eorum adducemus fundamenta:

1. Eſt, quia Deus, primarius conjugii autor, juſſerit, liberos parentib⁹ ſuis eſſe ſubjectos, Ex. 20. ℣. 12. & quidem in omnibus, Col. 3. ℣. 20. Si in omnibus liberi ſubjectionem Parentibus debent, certè præcipuè eam debebunt in eo negotio, quod ad gentem totam pertinet, quale ſunt nuptiæ, rectè colligit Hugo Grotius, l. 2. de jure Belli & Pacis. c. 5. §. 10.

2. Quia idem Deus Parentibus dederit præcepta, de liberis in matrimonio elocandis, Exod. 34. ℣. 16. Deut. 7. ℣. 3. Jer. 29. ℣. 6. Sirach. 7. ℣. 27. Ergò conſenſum eorum non modò utilem & honeſtum, ſed & omninò neceſſa-

ceſſarium indicavit. quippe ſciens, pietatem parentum pro liberis plerunq; ſalubre capere conſilium, ut loquamur cum Papiniano ex L. 22. nec in ea §. 4 ff. ad L. Jul. de Adult. in primis verò claſſicus occurrit locus, 1. Cor. 7. ℣. 36. ubi Paulus jubet facere de filia ſua, ſuperadulta & dono continentiæ non inſtructa, quicquid parens velit, i. e. interprete *Eraſmo*, impertit autoritatem parentibus, elocantibus nuptum filias, ut, citra eorum autoritatem, non ſit ratus matrimonii contractus, annot. in 1. Cor. 7. ℣. 36. p. 466.

3. Quia idem Deus exertè præceperit, ne filia ſtuprata duceretur â ſtupratore in matrimonium, niſi prius impetratô parentis conſenſu, Exod. 22. ℣. 29. Si hoc in ſtuprata: ergò multò magis præcepiſſe putandus eſt in filia incorrupta adhuc, atq; illibata, ne iſta â quopiam duceretur, niſi prius exploratô & impetratô parentis conſenſu. unde vel maximè pateſcit præcepti divini, de parentum conſenſu, æquitas atq; neceſſitas: quam etiam Oleaſtrius fatetur, ſuper Exod. 22. ℣. 17. ità commentans: *Conſtat ex h. l. non ſemper ſuffeciſſe, in veteri Lege, conſenſum utriusq; partis ad matrimonium contrahendum, imò requiri prætereà conſenſum patris, ſine quo non poterat eſſe inter iſtos conjugium, &c.* Sine quo autem res eſſe aut exiſtere non poteſt, illud ad rei eſſentiam vel exiſtentiam eſt neceſſarium, vel Ariſtotele teſte 5. Metaph. 5. t. 6.

4. Quia idem Deus votum filiæ, licet ſibi ipſi nuncupatum, non niſi tum ratum eſſe voluerit, quando patris conſenſu fuiſſet approbatum, Num. 30. ℣. 5. 6. Quare multò veriſimilius eſt, id obtinuiſſe in promiſſione alicui ſponſo, i. e. homini mortali facta.

Et nota, non attendi h. l. ætatem, prout vult Bellarminus lib. 1. de Matrim. c. 20. hanc irritationem reſpicere puellas, infra pubertatis annos adhuc conſtitutas: ſed ipſam ſubjectionem, quatenus talis filia degat adhuc ſub cura & poteſtate paterna. rei veritas patet ex ſimili añexa ratione maritatæ, cujus votum æquè poterat irritari â marito, ℣. 8. nō certè propter ætatē: ſed quia & hæc non ſui juris, verùm Viri voluntati ac poteſtati erat ſubjecta. quemadmodum hanc interpretationem ſuô calculô approbant Lyranus & Cajetanus ſuper iſtum locum.

5. Quia exempla piorum liberorum ſint obvia, qui in tam arduo negotio conſenſum parentum paſſim adhibuerint, & nihil hic ſuâ ſponte temerè agere voluerint. Sic ad parentum conſenſum, in matrimonio incundo, reſpexit Iſmaël, Geneſ. 21. ℣. 21. Iſaac, Geneſ. 24. ℣. 3. Jacob, Geneſ. 28. ℣. 1. Rachel, Geneſ. 29 ℣ 19. Simſon, Jud 14. ℣. 3. Thamar, 2. Sam. 13. ℣. 13. Sara, Tob. 6. ℣. 13. & 7. ℣. 15. quin extraneus adhuc, Sichem, patris conſenſum ſolicitat, & ab eo Dinam in uxorem ſibi dari poſtulat, Gen. 34. ℣. 4. & quodnam in tota ſacra Scriptura exemplū invenire eſt,

quò filii familias aut pupilli clam iis,in quorum poteſtate fuerant, contraxiſſent matrimonium, quod illis reclamantibus, fuiſſet validum? non immeritò quærimus ex Eraſmo l. de Inſtit. Chriſt. matrimon. Talia autem exempla, ſanctionibus divinis ſuperſtructa, ſunt cæterorum quaſi inſtitutio, in quam, ceu in ſpeculum,intueri, ſimiles mores ſimili imitamine æquare, & inde quid illis proſit, in uſum ſuum transferre debeant. Nam nō legibus tantùm, ſed & exemplis judicandum, quando ſibi mutuò ſubordinantur, Sagittarius in Axiomat. Log. Cent. 6. dec. 9. Axiom. VIII. p. 554.

6. Quia peccent,aliter, quàm ex conſenſu parentum,contrahentes, & propriam Conſcientiam periculosè admodùm illaqueent, hæſitantem, num nuptiæ divinitus ſint contractæ, taleq; conjugium DEO ſit acceptum & placitum, nec ne? unde neceſſariò, in adverſis,ſolidâ & efficaci conſolatione eos deſtitui oportebit. Quâ fronte igitur hujuſmodi conjugia æſtimabuntur ſolida, valida atq; legitima? Minor tantæ lucis eſt, ut ne ab ipſo quidem Bellarmino poſſit obfuſcari: quin fateri neceſſe habet: Peccant filij, quando ſine juſta & rationabili cauſa, parentibus inſciis vel invitis, matrimonia contrahunt, l. 1. de matrim. c. 19. §. Tertia. Et c. 20. §. ad ultimum: Media â Deo inſtituta,qualia ſunt: parentum & amicorū conſilia &c. qui ſpernit, non poteſt certò pronunciare, conjugium ſuum Deo placere, aut ſibi utile futurum.

His tamen non obſtantibus, ſtatuunt 1. nonnulli, honeſtè quidem talia matrimonia jungi non poſſe, poſſe autem ſimpliciter. quia neceſſitatem hîc ab honeſtate ſejungi oporteat. Quorum mentem, ut candidè dicam,nō ſatis aſſequor: An enim nos Chriſtiani aliquid ſimpliciter poſſumus,quod honeſtè non poſſumus? putâram, quæ facta lædant pietatem & contra bonos mores fiant, ne facere quidem nos poſſe, per L. Filius. 15. ff. de Condit. Inſtitutionum. Videntur itaq; illi, qui ſimpliciter factum matrimonium absq; honeſtate ſtatuunt, ab honeſtate quodammodò alieni: vel ſtatuta, ex quibus iſtam ſuam opinionem deſumunt, minus eſſe honeſta,&, ob id ipſum, parùm curanda. cum ſtatuta non obligent, ſi juſtitiâ & honeſtate ſint viduata, per can. porrò. C. 35. q. 3. Et an ignorant,quod ſcribit Alexander JC. Honeſtas, quæ ſpectat pietatem, habet etiam neceſſitatem? l. 4. Conſil. ultim.

2. Durius adhuc procedunt Patres Concilii Tridentini, qui tantùm requirunt conſenſum eorum,qui contrahunt, non autem Parentum, Seſſ. 24. can. 81. quod licet videatur nobis παράδοξον, adeoq; ipſo jure nullum, quippe, quod evertat diſciplinam ac honeſtatem, obedientiam ac reverentiam erga Parentes tollat, & liberis peccandi campum aperiat latiſſimum; nactum tamen eſt σύμμαχον robuſtiſſimum, Bellarminum nimirum, qui

ſancti-

ſanctionem iſtam aſperam, l. 1. de Matrim. c. 19. non tantùm propugnat, ſed & argumentis conſolidat, quæ operæpretium fuerit adducere, & ordine examinare.

1. Inquit, probatur illud exemplis Scripturæ divinæ. Gen. 26. Eſau duxit uxores duas, quæ ambæ offenderant animum Iſaac & Rebeccæ parẽtum ejus: proindè invitis parentibus eas accepit. Et rurſus c. 28. accepit tertiam, contra eorundem parentum voluntatem: nec tamen Iſaac ea Conjugia irritavit, & Scriptura ſimpliciter uxores vocat, quæ ita ductæ fuerant. Deindè Jacob, Gen. 29. & 30. duxit uxorem unam juxta conſilium Parentum ſuorum: ſed alias tres, & præſertim duas ancillas, duxit parentibus omninò inſciis, nec tamen Jacob ſanctiſſimus Patriarcha id feciſſet, ſi credidiſſet, neceſſarium eſſe parentum conſenſum. Tobias quoq; , ut legimus Tob. 7. uxorem duxit, in aliena Regione, parentibus ignorantibus: nec tamen Angelus Raphaël, qui cum ipſo erat, eum admonuit, ut parentum cõſenſum expectaret, neq; ipſe religioni ſibi duxit, inſciis parentibus id facere.

Reſpondebimus diſtinctè ad ſingula, Etiamſi non ignoremus ex Aug. l. 1. de C. D. c. 23. in civitate Dei non eſſe vivendum hominum exemplis, ſed Dei legibus: In primo miramur, cur adductus ſit Eſavus, cum juxtà nobiſcum nôrit Jeſuita, fuiſſe hominem profanum, Heb. 12. ℣. 16. & cum uxoribus ſuis, parentibus unguem in ulcere, Gen. 26. ℣. 35. â quo mutuari exemplum, perindè erit, colligere uvas ex ſpinis, ex tribulis ficos.

Dices, ſaltem quòd irritari oportuiſſet conjugium iſtud ab Iſaaco, ſi ipſo jure fuiſſet nullum; Regero ego, affectum paternum multa tolerare in liberis, quæ mutari ſatius eſſet, & hunc Iſaaco tum prædominatum fuiſſe, Joſephus teſtis eſt, qui ſcribit, Iſaacum connixiſſe, non quaſi non poſſet jubere, ut Eſauus miſſas faceret mulieres: ſed ne fieret filio ἀπεχθὴς, importunus, utpote παῖδ' ὂν μάλιστα ὁ πατὴρ ἐσπουδάκει, in quem Pater nimiopere erat propenſus, l. 1. Antiq. c. 18. p. 27. Interim nulla ſequela eſt: Iſaac, ipſô factô, non irritavit conjugium Eſauiticum. Ergò neq; jure id irritare potuit.

Inſtabis, ad minimum non oportuiſſe eas uxores dici â Spiritu S. ſi in rei veritate tales non fuiſſent. quomodo autem veræ uxores, ſi conjugium earum ipſo jure nullum? Reſpondeo: nudum nomen nihil præjudicat. Quia moris eſt Scripturæ, res ſæpè vocare, non ut reverà ſunt, ſed ut apparent exterius, non diffitente ipſo Bellarm. l. 1. de Euch. c. ult. vel, ut Finckii Canõ theologicus habet: In Scriptura ſacra ſæpè res deſcribitur ut eſt φαινομένως & κατὰ δόξαν, non κατὰ τὸ εἶναι, Cent. 1. can. 4. p. 8. Sic hîc uxores Eſavi nominantur, non quòd verè tales fuerint: ſed quia homines, inter quos degebant, ipſas pro veris ac legitimis Eſavi uxoribus habuerint & æſtimaverint.

Secundum exemplum, de Jacobo, quod attinet, conſtat de illo ex Scriptura, quod habuerit conſenſum Parentum quoad ducendam uxorem, de familia Labani, avunculi ſui, Gen. 28. ℣. 1. At is non fuit determinatus, ad unã præciſè ducendam, non verò ad plures. alioquin & tunc Jacobus, plures ducendo in parentum voluntatẽ deliquiſſet, & ſuum conjugium horribiliter coinquinâſſet: Sed in libertate Jacobi quodammodò relictum erat, ſive unam, ſive plures uxores ducendi, prout propria ferret conditio, & Syrorum, cum quibꝰ affinitatẽ contracturꝰ eſſet, permitteret conſuetudo. Cernens igitur, tempore pôſt, Jacobꝰ, ſibi honeſtũ fore, â Rachele, cui fidẽ dederat, ô recedere, nec dimittere Leam, cui, â parente obtruſæ, per ignorantiã tamẽ, cohabitaverat; nec ſe Gentis conſuetudini, quâ uxoribꝰ integrũ erat, ut, ſi in ꝓprio corpore ædificari fortè ã ô poſſent, id, interventu ancillarũ, Maritis deſponſarũ, ſi non præſtarent, ſaltẽ tentarent, tutò ſubducere poſſe, uſus eſt libertate ſua, &, quadruplici nexu matrimoniali, ſe implicuit, nullo parentum diſſenſu, vel tum, vel poſt reditum in Patriam animadversô.

Tertium exemplum de Tobia juniore prorſus eſt alienum. Nam ille habuit conſenſum Parentis, Tob. 4. ℣. 13. ubi pater filium ſic affatur: γυναῖκα λάβε ἀπὸ τοῦ σπέρματος τῶν πατέρων σου, καὶ μὴ λάβῃς γυναῖκα ἀλλοτρίαν, accipe uxorem de ſemine Patrum tuorum, & ne accipias uxorẽ extraneam: & Angelus ad hoc præceptum paternum provocat, Tob. 6. ℣. 17. memento ſermonum, quos præcepit Tibi Pater tuus ſuper accipienda tibi uxore de Genere tuo. Huic dum Tobias obſecundatus eſt, quomodo Parentis conſenſum non habuiſſe, aut illum violâſſe perhibebitur?

Dices: Conſenſus iſte nimis erat generalis, & neq; ad certam familiã, neq; certam perſonam aſtrictus. Er. minus validus. Reſpondeo, nihil decedit ejus valori. nam in his caſibus etiã generalior conſenſus ſufficit, exẽplô Eleazari, Gen. 24. ℣. 3. & Jacobi, c. 28. ℣. 1. præſertim, ſi, aut internuncii, ſint prudentes ac fideles: aut, Liberi tantæ ætatis, ut præſumtio ſit, ipſos ſuis rebꝰ commodè poſſe proſpicere. An quis præterea dubitabit, poſſe quemlibet juri ſuo renunciare, nec id, ꝙ ſuo juſſũ quocunq; modò geſtũ eſt, ratũ habere?

Secundô locô adducit Bellarminus aliquot autoritates, ex jure Canonico deſumtas, ad quas cum ab aliis prolixe reſponſum ſit, imprimis â Joach. Beuſtio part. 2. de Matrim. p. 180. & Gerhard. T. 7. L. C. §. 78. nos ne actum agamus, induſtrium auditorem eò remittimus, hoc ſolummodò commune facientes, Jus Canonicum, præ aliis Legibus, hoc habere ſingulare, ut quò antiquiores ſunt canones, eò magis derogent recentioribus, cum majoris videantur eſſe autoritatis, quò propiores fuerint primitivæ Eccleſiæ. jam verò canon Evariſti omniũ eſt antiquiſſimus, & habetur c. aliter. C. 30. q. 5. atq; pronunciat, aliter conjugia legitima fieri non poſſe, niſi petatur Uxor

xor ab his, qui ſuper eam dominationem habere videantur &c. ſubjiciturq;, aliter præſumta, non conjugia, ſed adulteria, aut contubernia, aut ſtupra, vel fornicationes potius, quàm legitima conjugia eſſe non dubitare. Et hoc planè facit cum Imperatore Juſtiniano, Tit. de Nupt. §. 11. Quomodo autem ad evertendum hunc *Evariſti* canonem, prorſus nihil proficiat Bellarminus, egregiè oſtendit *Chamierus*, T. 3. Panſtrat. p. 338.

Tertiò locô ſubjiciuntur rationes, earumq; tres: Quarum prima eſt, quoad omnes quatuor rerum cauſas, nihil deeſſe tali conjugio, citra Parentum conſenſum contracto. Er. illud eſſe ratū atq; legitimum. Reſpondeo, cauſam formalem agere rimas. Deficit enim conſenſus legitimus, qui ita eſſentialiter requiritur in hoc negotio, ut matrimonium, abſq; eo, non poſſit ſubſiſtere, L. Nuptias de R. I. Quantus quantus autem is ſit in contrahentibus, imperfectus tamen eſt, mancus, imò nullus, niſi etiam acceſſerit in Parentibus, qui robur addat ad complementum matrimonii, ſicut conſenſus Tutoris ad roborandum contractum pupilli.

Altera ratio eſt, liberos habere liberum arbitrium naturâ. *E*rgò, nō eſſe naturæ vim inferendam, nec naturalem libertatem ſub paternum imperium captivandam. Reſpondeo 1, confundi diſparia. Aliud enim eſt, eſſe naturâ liberi arbitrii, & eſſe naturâ ſui juris. non omnis, qui naturâ eſt liberi arbitrii, ſtatim etiam eſt ſui juris. nam & Uxor & filia naturâ eſt liberi arbitrii, neutra tamen in pangendis votis ſui juris: ſed illa mariti; hæc patris voluntati ſubdita, Num. 30. ℣. 6. 8. Deinde etiam, jus civile naturalem libertatem in liberis agnoſcit, neq; tamen ob eam paterno jure eos eximit, quin utrumq; potius elegantiſſimè connectit, in L. 11. Nec filium, C. de Nuptiis, ubi ſic Imperator: Neq; filium quidem familiàs invitum ad uxorem ducendam cogi, legum diſciplina permittit. igitur, ſicut deſideras, obſervatis juris præceptis, ſociare conjugio tuo, quam volueris, non impedieris: ita tamen, ut contrahendis nuptiis *P*atris tui CON*S*EN*S*U S accedat. Vides igitur, liberorum iſtam naturalem libertatem non tolli, ſed potius autoritate paternâ gubernari ac dirigi.

Tertia, ſervorum conjugium, invitis Dominis, eſſe ratum. Ergò multò magis filiorum, cum major ſit ſubjectio ſervorū ad Dominos, quàm filiorum ad Parentes. Reſpondeo, Antecedēs de jure antiquo eſſe falſum. nā Conciliū *C*abilonēſe exertè definivit, cōjugia ſervorū fore rata, ſi legalis cōjunctio præceſſerit, & volūtas Dominorū. quę verba Lōbard⁹ 4. Sēt. diſt. 36. monet, probè eſſe attēdenda, cū videatur illis innui, præter voluntatem Dominorum, inter ſervum & ancillā ō poſſe contrahi matrimoniū, vel ſi cōtrahatur, ō eſſe ratū. *S*ecundò, â ſervis ad liberos vitioſè concludi in hoc caſu.

Nam

Nam liberi arctius obſtricti ſunt parentibus, quàm ſervi ſuis Dominis. nam iſtos obſtrinxit Natura; ſervos autem ratio civilis, nempe vis, quæ eos libertate vivendi dejecit, & Dominorum ſubdidit voluntati. Jus autem naturale fortius eſt, quàm civile, cum hoc ſit mutationibus ſæpè obnoxium, illud verò immutabile. Tertiò, invertenda igitur potius hæc ratio: Si ſervus, inconſultô Dominô, non potuit contrahere matrimonium, multò minus filius poterit inconſultis parentibus. Ratio connexi eſt: quia ſervus duntaxat obſtringitur Domino, vi civili, ſubjectione, at filius parentibus naturâ, i.e. naturali conjunctione & unione, quod vinculum longè eſt arctiſſimum!

Concludimus itaq; hunc Caſum. Parentes, dummodò copia illorum haberi poſſit, & integris mentibus ſint præditi, ac ab omni pietate non prorſus alieni, nequaquam prætereundos, ſed in nuptiis Liberorum adeundos, & de conſenſu neceſſariò rogandos, ut præceptis & exemplis divinis hoc modo obtemperetur, conſcientia inviolabilis conſervetur, maledictio & ira in Conjugio evitetur, quin civilis etiam Magiſtratus pœna declinetur. Nam præſtat, in immorigeros etiam hujusmodi, pœnas ſtatui, ut honeſtati publicæ conſulatur, parentibus ſuus reſpectus cuſtodiatur, & inobedientiæ, quæ paſſim malô exemplô invaluit, tempeſtivè obviam procedatur, atq;, quod virtutis Amore non potuit, formidine pœnæ obtineatur. Alioquin fieri aliter haud poteſt, quin culpabili diſſimulatione malum latius propagetur, & nefanda licentia indies magis magisq; corroboretur, ut loquitur Anaſtaſius L. 9. C. de Inceſt. & Inutil. Nupt.

Cæterùm cum turpe videatur, in generalibus & externis tantùm vagari, ignorare autem jura domeſtica, operæ pretium nos facturos ſperavimus, ſi locô coronidis produceremus etiam ſtatuta ejus Reip. intra quam ipſi eſſemus conſtituti, inprimis verò cum noſtris communicaremus, quid ſuper re iſta ſancitum eſſet, tàm in LL. Academicis, quàm in auguſto Curiæ Noribergenſis Senatu, indubii, hanc aliqualem iſtarum rerum notitiam ipſis profuturam eſſe, ſive in Eccleſiaſtico, ſive Politico ſtatu aliquando ſint verſaturi.

Lex Academica Tit. 11. cap. 16. his verbis exprimitur: Non niſi conſentientibus Parentibus, amicis & tutoribus, ſub quorum ſunt poteſtate, Studioſi matrimonia contrahunto, quæ ſecus fiunt, irrita, nulla ſunto.

Decretum autem in conſilio totius Nobiliſſimi noſtri Senatus, Anno 1572, die Octobris 8. factum ac promulgatum, de verbo ad verbum ità ſonat: Nach dem der Eheſtand von Gott dem Herrn ſelbſt eingeſetzt und verordnet/ und durch Jeſum Chriſtum unſern Herrn und Heyland beſtettiget/auch/ in Krafft und Außweiſſung der Kaiſſerlichen Rechten/natürlicher vernunfft und ſchuldigen

Danck:

Danckbarkeit die Kinder ihren Eltern gehorſam zuleiſten ſchuldig / und mit ihrem Rath, vorwiſſen und willen vergleichet werden ſollen / Deme aber zu wider und über eines E. Raths der Statt Nürnberg / mehrmaln geſchehene Chriſtliche verwarnungen und *Edict*, in der Statt und auf dem Land / durch Ihre Bürger / unterthanen und verwandten, ein zeithero vielfaltig gehandelt worden: So iſt demnach eines E. Raths nochmaln / nicht allein / ernſtlicher Will / Meinung und Befelch / daß fürohin kein Kind / ſo noch unter Vätterlichem gewalt / oder der Vormünder v. Curatorn verſorgung iſt / Sich / ohne Rath / vorwiſſen und willen ſeiner Eltern v. Vormünder / Ehelich verſprechen, verpflichten und verheurathen ſoll: Sondern ercleret / ſetzt und erkennet auch hiemit / daß es dergleichen verlöbnüß zuthun / kein macht noch gewalt haben könn oder mög: und ſo glaublich dargethan würde / daß ein Kind / ſo / wie gemelt / noch im Vätterlichen oder Vormündern gewalt were / Sich fürſetzlich / unbedächtlich und hinterliſtiglich verſprochen hette / und ſolches der Obrigkeit / oder einem Ehrſamen Gericht angezeiget würde / ſo ſollen dieſelben Manns- oder Weibsperſonen / nach geſtalt der ſachen / mit ernſt geſtraffet werden / und viel deſto ernſtlicher wenn / neben ſolchem ungehorſam / auch die Schwechung oder Schwängerung gefolget were. Mit gleicher ſtraff ſoll auch gegen dieſelben Perſonen / die zu ſolchem ungehorſam und vermainten Eheverlübnüß gerathen oder geholffen haben / gehandlet werden. Es ſollen auch hierneben die Eltern / Vormünder und Curatores gewarnet ſein / daß Sie / gefehrlicher unnd aigennützigerweiß in die läng nicht verzyhen / noch derſelben vorhabende verheurathung / wenn Sie derhalben durch die Kinder zuvorderſt erſuchet wurden, ohne erhebliche urſach ſperren oder verhindern: Do es aber darüber beſchehe / und die Kinder mit Rath ihrer Freünd / bey einem E. Rath / denn Oberſten Vormundherrn / oder aber an einem Stattgericht / ſolche Ihre beſchwernis anbringen würden / ſoll Ihnen / nach billigen dingen / verholffen / und der unvätterlich gefehrliche verzug ungeſtraffet nicht gelaſſen werden. Die jenigen aber / die nicht mehr unter Vätterlichem oder Vormünder gewalt ſeind / ſollen in heimbliche Eheverlübniß / Sich auch nicht begeben oder einlaſſen: Sondern weil die Ehe ein offentlicher Stand iſt / ſoll die verlöbnüß in beyſein zum wenigſten zweyer auß Ihrer Freündſchafft / oder Anderer, Erbar unparteyiſcher / darzu inſonderheit / alß zeügen / erforderter Mannßperſonen / geſchehen / durch welche ſolche Eheverlübdnis im fall der Notturfft müge erwieſen werden; So aber dem gemeß nicht gehandelt / und Eines das Ander / der Ehe halber / anfechten wurde / ſo ſoll ſolche vermainte handlung für nichtig und krafftloß gehalten / und darauff nichts erkannt / und die Perſonen / die ſolcher Ordnung zuwider gehandlet / oder darzu gerathen und geholffen hetten / auch mit ernſt geſtrafft werdē. Hierauff gebeüt ein E. Rath / unſere Herrn und Obrigkeit / daß alle Ihre Burger / unterthanen und verwandten / dieſem Allen / wie obbegriffen iſt / bey vermeidung der Straff, welche ein E. Rath gegen denn verbrechern / jederzeit nach gelegenheit

Derſelben verwürckungen / fürzunehmen bedacht / gehorſamlich geleben und nachkommen / auch Alle Pfleger und Ambtleüt auff dem Land / in Ehrngedachtes eines E. Raths Stätten und Flecken / ſolch Decret und Gebott offentlich verkündten und anſchlagen / Daſſelbe auch hernach Jährlich zu gewöhnlichen zeiten / von denn Cantzeln verleſen laſſen ſollen / damit Sich Männiglich darnach zurichten / und mit der unwiſſenheit nicht zuentſchuldigen hab: Sondern Sich vielmehr vor Nachtheyl und Straff verhütten möge.

## *IV.*

## Utrùm Sponſalia, per ebrietatem contracta, bonâ cum Conſcientiâ poſſint dirimi?

Quod Tobias Senior filio ſuo, in alienas Terras profecturo, fideliter præcipit: Vinum ad ebrietatem non bibes, & non eat tecum ebrietas in via tua, c. 4. ℣. 16. id omnibus, qui vel Virginum vel Viduarum matrimonia ambiunt, ingeminandum cenſeo, ut vinô abſtineant, aut ſaltem, ad ebrietatem usque, ſe non ingurgitent, niſi in ſe recudi velint illud Ovidii:

*Turbarunt in me luxurioſi Proci!*

Quia tamen interdum evenit, ut quis vino plus æquo indulgeat, atque, ebulliente & incaleſcente adhuc mero, ad conciliandas nuptias (nam Venus in vinis, ignis in igne furit) ſe proripiat: paulò poſt verò, ubi largiorem crapulam edormiverit, & cum ſobrietate in gratiam redierit, mœrens ac gemens factum infectum, i. e. illum contractum reſciſſum eſſe cupiat, non immeritò quæritur, utrùm ſatis cauſæ habeat, cur ab eo reſiliat, quod prius per ebrietatem contraxerat?

Nonnulli in negantem abeünt ſententiam, putantes nimirum, talem contrahentem non habere ſatis cauſæ, cur reſiliat, ſed teneri de ſervando contractu inviolabiliter.

1. Quia ſponte ſuâ ſibi malum acceſſiverit, & eo crimine ſe implicuerit, quod noverit eſſe periculoſum & pernicioſum. Non enim remedio ſibi eſſe debere propriam noxam, ne peccata per indulgentiam accumulentur, & ſimilibus exemplis alii etiam ineſcentur. Nam ne turdo quidem condoleri aut parci, quòd ipſe ſuo fimo malum ſibi conflagret, quo poſtmodum implicetur & capiatur. exedendum igitur & ſibi eſſe, quod ipſe intriverit: qui per vinum deliquerunt, levitatis damnentur, ait Cap. ſanè. C. 15. quæſt. 1.

2. Quia

2. Quia in aliis delictis, allegatio propriæ turpitudinis, neminem excuſet. Ergò nec hîc ebrietatem quenquam debere excuſabilem reddere. nimis vile 'ſt vinum atque amor, ſi ebrio atque amanti impunè facere, quod lubeat, licet, inquit Plautus in Aulular. Act. 4. ſcen. 10. ỳ. 20. *Extitiſſe* enim præcepta divina, de ſectanda ſobrietate & fugienda ebrietate: itē exempla eorum, qui per ebrietatem irreparabile damnum ſibi accerſiverint: quæ omnia dum quis â tergo reliquerit, haud dolendum, quòd tam improvidè in iſtas anguſtias ſe præcipitaverit.

3. Quia exemplô opus ſit, quo vel tandem malum præſcindatur, ne excreſcat in immenſum, & quilibet, ſi ſatietas eum fortè capiat, aut novæ Nuptæ pœniteat, ebrietatem prætendat, &, ſub qualicunque iſto velo, ſponſaliorum irritationem urgeat: Huic autem malo facilius vix poſſe obviam iri, quàm, ſi graſſanti undæ agger præſtruatur, & ſponſalia, per ebrietatem contracta, rata pronuncientur. Sic enim unusquisque, aut ab ebrietate ſibi cavebit, aut ebrius ad celebranda ſponſalia non advolabit, ne indiſſolubiliter retinere cogatur, quam bacchicus ſuus furor ſibi ſuggeſſerit.

Alii tamen affirmativam potius amplectuntur, ſponſalia, in ebrietate inita, poſſe & debere reſcindi, inter quos præcipuè eminet Nicolaus Hemmingius l. de Conjugio p. 216. *D*ico, inquit, quod male conglutinavit vinum, quod temeritas, quod cœcus amor, quod malè per Lenas & Lenones, ſuos diaconos, conjunxerat Diabolus, hoc, per ſuos Miniſtros, ritè dirimat DEUS. Neque enim ſentiendum eſt, eos â DEO conjunctos eſſe, qui malè conjuncti ſunt. &c. Huic ſuffragantur *D*idacus in ſua *E*pitome l. 4. Dec. c. 2. n. 10. Ripa in L. fin. C. de revocand. Donat. q. 22. Cothomannus Vol. 1. Conſ. 10. n. 70.

Fundamentum eorum eſt, quòd in contractibus matrim[illegible]ibus, conſenſu opus ſit, eoque legitimô, i. e. pleno, ſano & libero. Jam [illegible] ebrietas mentem aufert, & conſenſum ac voluntatem impedit, intellectumq; confundit. luxurioſa res eſt vinum, & contumelioſa ebrietas: omnis, qui cū his miſcetur, non erit ſapiens, inquit Hieron. c. luxurioſa. D. 35. quâ ratione, qui ebrietate adductus aliquid ſecerit, non tam animi propoſitô, quàm impetu deliquiſſe putatur, L. 11. perſpiciendū. §. 2. ff. de Pœnis. *D*eficiente igitur conſenſu, ipſum quoq; contractum deficere & evaneſcere neceſſe fuerit.

Joachimus Beuſtius optat, quia hîc caſus ſæpè accidat, &, in eo Doctores inter ſe non ſatis conveniant, eum, vel communis utilitatis gratiâ, aliqua conſtitutione decidi, part. 1. de Sponſ. c. 11. p. 20. Quòd licet, quantillus ego, præſtare minimè valeam, lubens tamen meam quoq; ſymbolam conferam, eamq; pauculis obſervationibus includam.

1. Talis contrahens hîc intelligitur, qui ſui ſit juris, h. e., cujus parentes non ſint ſuperſtites, quiq; ſub Tutorum aut Curatorum poteſtate non amplius ſit conſtitutus; alioqui alterutrô adhuc vigente, hujusmodi contractus erit invalidus, ſive ſobriè, ſive per ebrietatem ictus.

2. Contrahentis natura probè eſt penſitanda, quæ vel ità comparata, ut honeſtatis & morum integritatis ſemper ſtudioſus, & ab ebrietate maximoperè alienus, generoſitate tamen vini victus, præter morem, in ebrietatem caſu inciderit: vel, qui pronus ad ebrietatem, & poculis exhauriendis unicè ſit deditus, unde ebrietas ipſi quaſi habitus & altera natura. Qui priori modo contraxerit, cujus eum poſt reſumtam ſobrietatem conſtanter pœniteat, mitius eſt tractandus, & quantum fieri poteſt, ab inito contractu abſolvendus. quia talis inſperatus caſus quandoq; etiam in virum conſtātem poſſit cadere: at qui poſteriori, durius, ejusq; contractus haud facilè iritandus, ne temerè in Regulam Juris committatur, quæ ſonat: Illicitæ rei vacantem non debet excuſare ſua improbitas, L. quod quis ex culpa. 203. ff. de R. J.

3. Accidit ſæpè, ut quæ quis per ebrietatem contraxerat, diſcuſsâ vinolentiâ, & edormitâ crapulâ, approbet & adhuc rata habeat. Si quis igitur ebrius, etiam ſponſalia icerit, & ſobrius factus de ſuis promiſſis admonitus, neq; facti pœnituerit, neq; exceptionem contramoverit, ſed in fide ſemel data conſtanter perſeveraverit, valebunt utiq; illa, non quidem reſpectu tractationis, durante ebrietate ſuſceptæ, quæ vix pro legitima agnoſcenda, ſed valore conſenſus, ab homine ſobrio profecti & repetiti. valebit hîc illud JC. ex L. 67. ff. de jure Dotium deſumtum: Ut nuptiæ, ſic & ſponſalia, â die ratihabitionis convaleſcere dicuntur.

4. Etiam ebrietas diſtinguenda eſt ſecundum ſuos gradus atq; effecta. A[illegible]nim eſt parva, quæ non inducit errorem menti, neq; voluntati inconſu[illegible]m impetum: alia magna, quæ ità obruit hominem, ut nec, quod agat, intelligat, nec quid egerit, poſtero die, ne juratus quidem recordetur atq; reſciſcat. Succinctius Weſenbeccius enunciat: magna eſt, quæ aufert rationem; parva, quæ uſum rationis ſervat, in Parat. ff. ad L. Cornel. de Sicar. n. 24. Qui parvâ conſtrictus ſponſalia celebravit, ejus conſenſus non eſt illegitimus, nec promiſſio calva: at magnæ contraria eſt ratio. nam qui eâ eſt immerſus, is ad tempus exiit de poteſtate mentis ſuæ, & proinde furioſo atq; inſano haud eſt diſſimilis, cujus conſenſus æquè judicatur nullus, Schneidvv. de Nupt. part. 3. n. 53.

5. Et quia honeſtis mentibus ſæpè inſidiæ ſtruuntur, ut, quia alia ratione irretiri non poſſunt, aſſiduis ac quotidianis compotationibus inſequuntur, & ad dandam matrimonii fidem alliciantur; Nos illum, qui hujusmodi

modi dolô & calliditate circumventus & deceptus fuerit, ſi poſtmodùm nolit, & intentatam fraudem detexerit, cum Ampliſſ. Gailio, non tantùm de fide data non teneri pronunciamus. quia hîc nullus ſincerus conſenſus præceſſerit, ſed dolis elicitus: verùm etiam doloſos ejuſcemodi inſidiatores, promeritis Magiſtratus civilis pœnis objiciendos judicamus, Lib. 2. Obſerv. 93.

6. Tandem ut tam parentibus, quàm ambientibus melius conſulatur, & illi, â ſiniſtris ſuſpicionibus atq; ineſcationibus: hi, vel â revocationibus, vel â commiſſis erroribus (quod non tam propriæ turpitudinis allegatio eſt, quàm admiſſi erroris exculpatio) cuſtodiantur: Parentes in id ſedulò incumbent, ne ebrios, ad tractanda matrimonialia, usquam admittant, ſed vel importunos â liminibus abigant, vel attentiores ad harum rerum confectionem, ſobrios animos afferre jubeant, illud affatim inculcantes:

*— — ſobriè ambire puellam,*
*Non poterit juvenem pœnituiſſe pium!*

Ambientes verò iſtud ſapientiſſimi Eccleſiaſtæ ſubindè ruminabuntur, cogitavi in corde meo abſtrahere â Vino carnem meam, ut animam meam transferrem ad ſapientiam, devitaremq; ſtultitiam, cap. 2. ℣. 2.

*Sic DEUS incepto curſum, ſortemq; ſecundam*
*Conferet, ut porro victor opimus eas!*

# V.

## Quænam Matrimonia inter Conſanguineos, bonâ cum Conſcientiâ, poſſint contrahi?

Antequam ipſius Caſus deciſionem aggrediamur, operæ pretium fuerit, nonnulla de conſanguinitate, & lineis atq; gradibus præmonere.

Conſanguinitas eſt quaſi ſanguinis unitas. Dicitur enim â Con & Sanguis: undè Conſanguinei ſunt, qui quaſi unum ſive commun-m ſanguinem inter ſe participant, Germ. Blutsfreund oder Blutsverwandte.

Erit ergo Conſanguinitas naturale quoddam Vinculum, â propinquo ſtipite, Deſcendentium vel Aſcendentium, carnali propagatione contractû. Principium Conſanguinitatis, eſt ſtipes ſive truncus, id eſt, talis perſona, ex qua aliæ, de quarum cognatione quæritur, per carnalem generationem ducunt ortum ſeu procreationem ſuam. verbi gratia quæritur: utrùm Joſephus & Dina ſint Conſanguinei? reſpondetur, quòd ſic. pergitur: unde hoc nôſti? reſpondetur, ex principiô Conſanguinitatis, nempe ex Patriarcha Jacobo, â quo duæ iſtæ perſonæ deſcendentes, Joſephus filius, & Dina

 filia

filia, ſint procreatæ, & inde, tanquam ex ſtipite ſive trunco, per propagationem carnalem ſuam traxerint originem. Ulterius quæritur in linea aſcendente: utrùm Iſaac, Joſeph & Dina ſint Conſanguinei? Reſpondetur, quod ſic. pergitur: qui ſcis? iterum reſpondetur: ex principio Conſanguinitatis, nimirum, Patriarcha Jacobo, qui, ut ipſe prius, ex Iſaaco ſpiritum & ſanguinem traxit, ſic eundẽ (ſpecie, non numero) porrò in Joſephum & Dinã carnaliter propagavit, atq; iſto modo, tres has perſonas naturali conſanguinitatis vinculô inter ſe colligavit.

Notanter autem dixi: A propinquo ſtipite. quia Conſanguinei propinquô ſanguine debent eſſe progeniti, non remotô: alioquì omnes homines inter ſe forent conſanguinei, cum univerſi & ſinguli ab uno ſtipite, licet remotiſſimô, videlicet Adamo, Generis humani principio, deſcendant. Non eousq; producenda eſt Conſanguinitas, ſed ad juſtum, idq; propinquũ intervallum, quousq; nempe extendere ſe poſſit naturalis ſanguinis vis atq; effectus, qui per varias transfuſiones non tantùm fit debilis, ſed tandem planè deficiens: quo expirante, ipſam quoq; Conſanguinitatem ſimul expirare ac deficere putandum eſt. jungatur his Covarruvias de Matrim. l. 1. p. 2. c. 6. n. 1.

*Ex* dictis patet, quòd Conſanguinitas locum habeat tam in linea recta, eaq; cum Aſcendente, tum *D*eſcendente, quàm collaterali ſive obliqua, eaque tam reſpectu agnationis, quàm cognationis. Nam Agnati, quia ſunt conſanguinei mei patris; & Cognati, quia ſunt conſanguinei meæ matris, neceſſe erit, ut iidem, ob commune conſanguinitatis principiũ, quod conſtituunt parentes mei, qui me progenerârunt, & è quibus ego deſcendi, mei quoq; ſint conſanguinei; & Agnati quidẽ tales conſanguinei, qui ſanguine paternô me attingant: Cognati verò tales, qui ſanguine maternô mihi juncti ſint. Hinc regula: *C*onſanguinitatis ratio eadem eſt, ſive ex paterna, ſive ex materna linea deſcendat vide. L. 10. §. 2. de Gradibus.

Quæ cum ita ſint, quòd Conſanguinitas in ſanguinis neceſſitudine fundatur, ſequetur porro, quòd, quò vicinior communi ortui trunco ſive ſtipiti conſanguinitas, eò etiam ſit arctior; & quò remotior, eò etiam ſit laxior. Ad hanc autem rem ritè dignoſcendam, introducti ſunt gradus & lineæ, quibus, tanquam certis ordinibus & limitibus, conſanguinei viciniores diſterminari ſuéverunt à remotioribus, & viciſſim remotiores à vicinioribus. Nam linea indicat ſeriem, ſecundum quam, Conſanguinei ab eodem ſtipite ſint derivati: an ſint in ordine ac ſerie Aſcendentium, vel Deſcendentium, vel Collateralium, eorumque vel Agnatorum, vel Cognatorum: Gradus autem diſtantiam oſtendit, an Conſanguinei propinquâ vel remota ſanguinis junctione inter ſe diſtent. Hinc linea definitur,

quod

quòd ſit collatio, ſive ſeries, ſive ordo perſonarum, ad eundem truncum, aut ſtipitem relatarum, & quæritur de ea in quale. e.g. in quali linea eſt Filius? reſpondetur, in linea Deſcendentium; in quali linea Avus? reſpondetur, in linea Aſcendentium: At verò in quali linea eſt Patruus, aut Avunculus? reſpondetur, uterque quidem in linea Collateralium, ſed Patruus tamen â dextro latere. eſt enim Patris frater germanus, & paternum ſanguinē præſupponit: Avunculꝰ verò â ſiniſtro latere. eſt enim Matris frater, & maternum ſanguinem ſapit. Gradus autem definitur intervallum, quô cognoſcitur, in quantum duæ perſonæ, vel â communi ſtipite, vel ipſæ inter ſe ſint diſterminatæ, & quæritur in quotum, verbi causâ: Quotô gradu diſtant Abraham & Nahor (duo fratres) â Thare? (Patre.) reſpondetur, primô gradu: quotô autem inter ſe? reſpondetur, ſecundô gradu.

Quibus præmiſſis & obſervatis, propoſitus Caſus vix melius poterit decidi, quàm ſi totum negotium certis quibusdam Maximis ſive Regulis includatur. Quarum Prima eſt: Inter Conſanguineos Aſcendentis vel Deſcendentis lineæ, matrimonium omni jure in infinitum usq; eſt prohibitum. Ratio unica, eaq; validiſſima eſt, quod alioquin iſthâc conſociatione ipſũ naturæ fœdus pollueretur & violaretur. Quod agnoſcens Ovidius, 10. Metamorph. ita ſcribit:

*- - - - - - Neve Parentis*
*Concubitu vetitô Naturæ pollue fœdus.*

Quin ipſa Bruta hujusmodi commixtionem averſantur & horrent, præcipuè inſigniora: Quemadmodum hujus rei elegans exemplum recenſet Camerarius Hor. Succis. Cent. 1. c. 25. p. 122. inquiens: Johannes Lupꝰ Hiſpanus, qui citatur â Nicol. Boërio in Tra. Matrim. Decis. 318. n. 2. refert, audiviſſe ſe â fide dignô homine, qui propriis oculis id viderit, quòd in Provincia Beticæ, generoſiſſimus *Equus*, propter inceſtum cum matre ſua commiſſum, ad quem committendum arte & unguentis pellectus fuerat, cognitô crimine, ſibi ipſi genitalia, magna cum admiratione Aſtantium, abſciderit. ſimile refert Ariſtoteles de Scythico equo, qui poſt detectum inceſtum præcipitem ſe egerit, l. 9. H. Anim. c. 47. p. 726.

Compertum quidem eſt, nec negari poteſt, reperiri nonnullas Gentes, inter quas parentes cum liberis, & liberi cum parentibus conſueverint: imò apud Perſas Magus non aliter naſci potuit, quàm ex matre & nato, ſicuti Catullus in Gellium teſtatur, Epigram. 91.

*Nam Magus ex matre & nato gignatur oportet:*
*Si vera eſt Perſarum impia Religio.*

At hoc de facto accidit, nos autem loquimur de jure, dum matrimonia Aſcendentiũ & Deſcendentium illicita pronunciamus. Hinc etiam iſta Perſarum

rum conſuetudo, â Philone mos μυσαξάμϑ@, execrabilis: & paulò pôſt, Factum, quo nihil cogitari poſſit magis impium, Lib. de ſpecial. LL. ad 6. & 7. *Præceptum*, p. 600. *Cui perverſæ conſuetudini opponendus eſt* Canon B. Auguſtini: Sana ratio etiam exemplis anteponenda eſt; cui quidem & exempla concordant, ſed illa tantùm, quæ digniora ſunt imitatione, quantùm excellentiora pietate, Diſt. 10. cap. Sana. Et illud Brocardicum Juris: Perverſæ quarundam Gentium mentes, & impii mores, divino ſive naturali juri nihil præjudicant, apud Barcholdum de Gradib. Conſang. p. 104.

Altera Regula concernit Collaterales, & æquè unâ pericope poteſt comprehendi, in hunc modum: In linea collaterali, ex præſcripto ſacrarum Literarum, prohibita ſunt tantùm Matrimonia, in gradu primô lineæ æqualis, & in ſecundo gradu lineæ inæqualis. Veritas hujus regulæ comprobatur per exempla, quæ in ipſo Codice divino in medium ſunt adducta, quibus ejuſcemodi & non aliæ perſonæ contrahere prohibentur, quæ videlicet, vel in primo gradu lineæ æqualis, vel in ſecundo gradu lineæ inæqualis inter ſe ſunt conjunctæ.

Veniemus in rem præſentem. Lev. 18, quo loci propria ſedes hujus materiæ habetur, ſeptem recenſentur Conſanguinei, qui â contractu matrimoniali prohibentur, inter illos reperiuntur tres, qui in linea recta ſunt conſtituti, videlicet Mater, Nepos & Neptis; reliqui verò ſunt Collaterales, iiq; nonniſi, vel primi gradûs lineæ æqualis, vel ſecundi gradûs lineæ inæqualis. Verbi cauſâ, verſu 7. & 10. omiſsô, utpote qui agunt de Matre, Nepote & Nepte, id eſt, de perſonis lineæ rectæ, & eapropter pertinent ad Regulam primam, de non copulandis Aſcendentibus & Deſcendentib⁹ in Infinitum: in verſu IX legitur de ſorore ex utroq; parente: nuditatem ſororis tuæ, filiæ patris tui, vel filiæ matris tuæ, quæ genita eſt domi, vel foris, non revelabis turpitudinem earum. Hîc ſtipes eſt Pater & Mater: in latere dextro, eſt frater; in ſiniſtro, ſoror, æqualiter. Ergò hæ perſonæ erunt collaterales, & quidem lineæ æqualis, atq; in primo gradu. namque nemo proximior illis, parentes ceu ſtipitem attingit: proximus autem â ſtipite gradus, non poteſt eſſe alius, niſi primus: Et ſic, vi noſtræ Regulæ, earundem nuptiæ erunt prohibitæ. Eodem ẏ. 9. habetur interdictum de ſorore, ex alterutrô parente progenita, & ſic ſonat: Nuditatem filiæ Patris tui, vel Matris tuæ, non revelabis. Dicitur hîc filia patris, quæ communem patrem tecum habet, ſed non communem matrem: dicitur filia matris, quæ communem matrem tecum habet, ſed non communem patrem. Hic ſtipes eſt pater, vel mater: in dextero latere, collocabitur frater, in ſiniſtro, ſoror, ex alterutrô parente nata; & quia hæ perſonæ ſunt collaterales in primo gradu lineæ æqualis, vi noſtræ Regulæ, earundem nuptiæ erunt prohibi-

hibitæ: Sequentibus verſibus 12.& 13.agitur de Amita & Matertera, & prohibitio ſic ſe habet: Nuditatem ſororis patris tui non revelabis. Caro ſive propinqua patris tui,ipſa. Item,nuditatem ſororis matris tuæ non revelabis. quia caro ſeu propinqua matris tuæ, ipſa. Hîc ſtipes eſt pater vel mater; ſi pater,tunc, in dextro latere, ei jungetur amita,& infra ſe, in recta linea, filius ;, ſin mater, jungetur ei in ſiniſtro latere matertera,& infra ſe, in recta linea, filius. Hic filius non poterit ducere neq; amitam , neq; matertera m: quia ei ſunt collaterales in ſecundo quidem gradu , ſed in linea inæquali. Ergò harum quoq; nuptiæ, vi noſtræ regulæ,erunt prohibitæ.

*Et* hæ ſunt illæ ipſæ perſonæ conſanguineæ,quas interdictum,de non contrahendo inter ſe matrimonio,comprehendit, eæq; omnes, vel ſunt intra primum gradum lineæ æqualis, vel intra ſecundum lineæ inæqualis cõſtitutæ, nec prohibitio ultra hos reſpectus in *S*criptura extenditur. Hoc ſolummodò, quaſi ἐν παρόδῳ , altius infixeris, prohibitionem hanc divinã non modò capiendam eſſe de perſònis,ad literam ibi commemoratis : ſed etiam de non expreſſis, pari tamen ratione cum cæteris gaudentibus, per Canonem ut vulgatiſſimum,ſicetiam veriſſimum : Ubi eadem ratio,ibi idem jus !.

Fundamentum hujus prohibitionis,eſt proximitas carnis , de qua vox divina ità intonat : Nemo ad propinquam carnis ſuæ accedat, Lev. 18. ℣.6. pro propinqua,in hebræo eſt dictio שְׁאֵר, quæ eſt generis communis,& deſcendit â שָׁאַר, reliquus fuit, eaq; denotatur propinquitas carnis , quæ ſubinde ſuſtentetur reliquiis & ſucceſſione carnis, & â proximo in propinquiorem propagetur. Jam verò certum eſt, fratres & ſorores haberi pro una carne , Gen. 37. ℣. 22. unde porrò ſequitur, quia æſtimantur pro una carne, ut omnes Liberi, qui â fratre vel ſorore mea deſcendunt, ſint mihi filiorum locô,& ego viciſſim illis patris locô. Jam verò antè dictum eſt, inter Aſcẽdentes & Deſcendentes nullum intercedere Connubium !.

Nota ſis h.l. in his talibus exemplis non tam ad locationem perſonarũ, quàm earundem qualitatem reſpici oportere.. Licet enim hujusmodi perſonæ ſituentur collateraliter, tamen, pro ratione & qualitate ſua, potius ſpectant ad lineam rectam , quàm collateralem . quia ſe habent inſtar parẽtum & liberorum,inter quos,vi regulæ noſtræ primæ,nullum validum poteſt eſſe conjugium. Ex qua linea recta quia judicantur tales perſonæ, igitur regula iſta,majoris elucidationis gratiâ,in hunc modum poterit ſuppleri: Inter Parentes, ſive univoci illi ſint , ſive analogici,directi vel reductivi; & inter Liberos,etiam generaliſſimè ſic dictos,(de quibus conſule L. Liberorum , 220. ff. de V. *S*. ) matrimonium legitimum non contrahitur . *E*leganter ad hanc rem Duarenus: Quandò alter , inquit, tam propinquus eſt,

communi parenti, ut uno tantùm gradu ab eo diſtet, tunc ab illius nuptiis abſtineri debet. quia veluti parens quodammodò eſſe intelligitur, Comm. ad tit. Soluto matrim. p 248.

Hos autem gradus, divinitùs prohibitos, ità indiſpenſabiles pronunciamus, ut nulli poteſtati humanæ, quantacunq; illa ſit, diſpenſationem circa iſtos permittamus, ne quidem pontificali ſede excepta; quicquid Concilium Trident. Seſſ. 24. c. 3. & 5. contrà definiat. Nam, etſi vel Papa, quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ, deſtruere niteretur, non ſententiã dicere, ſed magis errare inveniretur, inquit ipſe Urbanus C. ſunt quidã. 25. quia quod divinitùs promulgatum eſt, niſi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur, juxta Bernh Tr. de Præc. & Diſpenſ. p. 1071. cui meritò ſubjungimus celebratiſſimũ J C. Cujaciũ, qui in recitatione ad 4. Decret. Tit. 19. p. 558. introducit Innocentium, in Decretali quadam, ad Comitem N. vernenſem, ſic diſſerentem: Inter divinas & humanas leges tanta eſt diſtantia, ut contra Leges divinas nunquam valeat Diſpenſatio; contra humanas verò leges diſpenſari poſſit aliquandò, prout neceſſitas vel voluntas poſtulabit.

Variæ circa hanc regulam moveri poſſent quæſtiones, ſed parcemus operæ, & unam atq; alteram duntaxat delibabimus.

Prima eſt: Quid de conjugio, quod fratres & ſorores inter ſe ineunt, ſit ſtatuendum? Reſpondemus, id quidem in primordiô generis humani toleratum fuiſſe à Deo, ob ſummam neceſſitatem. quomodo enim aliter genus humanum propagari potuiſſet, ſi fratres & ſorores mutuis matrimoniis non fuiſſent juncti? tempore pòſt autem, iſta tolerantia ſeverô interdictô fuit ſublata & abolita, Lev, 18. ℣. 9. Pertinet huc obſervatio B. Auguſtini, qui l. 15. de C. D. C. 16. ſic infit: Cum igitur Genus humanum poſt copulam Viri, facti ex pulvere, & conjugis ejus, ex Viri latere, marium fæminarumq; commixtione opus haberet, ut gignendo multiplicarentur, nec eſſent ulli homines, niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent, Viri conjuges ſuas ſorores acceperunt: quod profectò quantò eſt antiquius compellente neceſſitate, tantò poſtea damnabilius, religione prohibente!

Dices: Tamen per ſe & naturâ ſuâ hujuſmodi conjugia fuêre illicita. Ergò nullo caſu, quicunq; etiam fingatur, potuerunt legitimari. Reſpondeo, quid alij hîc intricent, non multum moramur: legantur ea apud alios, Helvicum nimirum in Vindiciis locorum V. T. Chriſtian. Matthiæ in Polit. p. 378. Bellarm. 1. de Matrim. c. 27: Nobis ea ſtat ſententia, hujuſmodi Conjugia naturâ non fuiſſe illicita, aliàs ne Deus quidem in illis diſpenſare potuiſſet, niſi contra ſuam ipſius naturam facere voluiſſet: ſed juri naturæ

turæ

turæ duntaxat ſubjacere matrimonia Aſcendentium & Deſcendentium; reliqua Collateralium omnia, eſſe juris poſitivi, & idcircò diſpenſationem & interpretationem poſſe admittere, ubicunq; ſupremo Legislatori ità viſum fuerit neceſſarium. De impoſſibilitate autem Diſpenſationis in Lege Naturæ, conſuli poterit Hornejus l. 4: Ethic. c. 3. §. 40.

Secunda quærit: quid de iſtis nuptiis ſtatuendum, quas cum fratris vel ſororis ſuæ filia quis adornat? Reſpondeo: vix rectius fecerimus, quàm ſi ejus controverſiæ judicem, ipſos JC. audiverimus, qui talem ferunt ſententiam: Ab inceſtis nuptiis univerſi noverint temperandum. Nam Reſcripta quæq; omnia; vel pragmaticas formas, aut conſtitutiones impias, quæ quibusdam perſonis, tyrannidis tempore, permiſerunt, ſceleſto contubernio matrimonii nomen imponere, ut Fratris filiam vel Sororis, vel eam, quæ cum Fratre quondam nuptiali jure habitaverat, uxorem legitimam, turpiſſimô conſortiô, liceret amplecti, aut, ut alia hujuſmodi committerentur, viribus carere decernimus, ex L. 9. ab inceſtis. C. de inceſt. & inutilibus Nuptiis. Si tam religioſi in re iſta Jurisconſulti, quid non facient, Theologi? quibus plusquam notum eſt, Patruum aut Avunculum, ſe habere inſtar parentum, quibus cum Neptibus, ſive ex fratre, ſive ex ſorore, nunquam poſſit intercedere conjugium.

Tertia quærit: Quid faciendum tum, ſi hujuſmodi matrimonia, vel ex imprudentia, vel planè ex ignorantia fuerint contracta; re autem compertâ, ſed non amplius integrâ, â Comparibus nolint reſcindi? Reſpondeo: tales nuptiæ, quia contra præceptum divinum ſunt initæ, ipsô jure æſtimantur nullæ. nam vitioſum & nullum, apud Prudentiores æquiparantur, ex L. 6. quotiens. ff. Qui ſatisdare cogantur: ideoq; optimô titulô poſſent reſcindi; eſſetq; ſæpè è re, protinus reſcindi, quò Conſcientiæ maturè liberarentur, & â remorſiunculis non ſubindè vexarentur & cruciarentur. Quòd ſi verò Magiſtratus jure ſuo uti nolit, idq; ob honorem matrimonii: nec contra voluntatem Comparium divortium inſtituere, jus fasq; tamen erit, ut in delinquentes æquâ pœnâ animadvertat, ne videatur vel peccata velle fomentare, vel ſcandalis incentiva ſubminiſtrare: Præterea & ipſi autores, lapſum ſuum, quô ſe implicuerunt, deplorabunt, Magiſtratus pœnam patienter ſuſtinebunt, & inſuper DEUM ardenter implorabunt, ut commiſſum errorem ità condonet, ne vel ſibi vel liberis ſuis, ſi qui futuri ſint, iniquitas porrò in probroſam ignominiam, aut immanem vergat ruinam: Solatio illis fuerit Paulinum iſtud: Miſerebitur noſtri Dominus. nam ignorantes id faciebamus, 1. Tim. 1. 13.

A jure divino ad jus Civile ſi deſcenderimus, deprehendemus, illud

 cum

cum jure divino planè concordare. prohibet enim nuptias perſonarum, quæ ſunt in linea recta omnium: quæ verò in Collaterali, earum, quæ vel primò gradu lineæ æqualis, vel ſecundò lineæ inæqualis invicem ſunt junctæ. De linea recta, Aſcendentium & Deſcendentium, ſic Imperator: Quisquis ex gradu Aſcendentium & Deſcendentium uxorem duxerit, iure Gentium inceſtum committit, L. 68. Jure Gen. ff. de ritu Nupt. Conjugium fratrum & ſororum, quod eſt primi gradus lineæ æqualis, interdicitur §. inter eas. 3. Inſtit. de Nupt. Conjugium cum fratris vel ſororis filia, improbatur, L.9. C. de inceſt. & inutilib. Nupt. item cum amita & matertera, l. 17. per adoptionem. §. 2. ff. de rituNupt. Quorum utrumq; eſt ſecundi gradus lineæ inæqualis.

Incidit quidem liticula ſuper conjugiô Patruelium & Conſobrinorum, quod de jure civili videtur eſſe prohibitum, §. duorum. Inſtitut. de Nupt. cum tamen jus divinum ab hujusmodi nuptiis non ſit alienum, vel ipſo Gerhardo teſte L. C. de Conjugio, §. 326. Sed ejus deciſionem invenies apud Alberic. Gentil. l. 5. de Nupt. c. 11. & D. Sebaſt. Beer. in Vindic. ad Sutholt. Diſſert. 2. Aphor. 36.

Hoc interim negare non poſſumus, Theodoſium M. iſtas Conſobrinorum nuptias ſuſtuliſſe, non ob conſenſum cum jure divino, quaſi idem conjugium ibi eſſet interdictum, quemadmodum Ambroſius conjectat, l. 8. Ep. 66. in eo lapſus memoriâ, ſecundum Bezam de Repud. & Divort. p. 37. ſed, ut divina prohibitio proximorum graduum, majore reverentiâ obſervaretur, ut Bechſtadius annotat in Collatione Jur. Connub. p. 73: Verùm conſtitutio iſta fuit ſaltem temporaria, & cum Theodoſii morte extincta. Poſtquam enim Arcadius & Honorius rerum potiti ſunt, qui filii erant Theodoſii M. illam Patris diſpoſitionem rurſus ſuſtulerunt & abrogârunt, haud absq; prægnantibus cauſis, uti videre eſt in L. 19. celebrandis. C. de Nuptiis.

Quoad Jus Canonicum ſpectat, licet id, quoad lineam Rectam tam cum jure divino, quàm civili usquequaq; conſentiat, & pariter matrimonium inter Aſcendentes & Deſcendentes, in infinitum prohibeat, vel Panormitano conteſtante, ad cap. non debet. n. 8. extra de Conſang. & Affin. Tamen quoad lineam collateralem, ab utroq; recedit, matrimonium prohibendô olim usq; ad ſeptimum gradum, quemadmodum patet per c. nullum. 35. q. 2. utrùm autem tunc Veteres civilem numerationẽ attenderint, necne? anxius non inquiro: graviter de hoc diſſeruit Cujacius, recitatione in 4. Decr. Tit. 14. de Conſ. & Affin. cap. pen. p. 523. Hodiè verò communiter usq; ad gradum quartum, incluſivè, hoc eſt, ut in ipſo quartô gradu non liceat matrimonium inire, ſed in quinto demum, attentâ etiam & facta

facta computatione canonicâ, non civili, Schneid. ad Inſt de Nupt. p. 80.

Quæ Conſtitutio demum roborata eſt in Synodo Lateranenſi, ſub Innocentio III. Epiſcopo Romano, qui, juxta Onuphrium in Chron. Pontif. Annô 1215. Romæ, in Baſilica Lateranenſi, celebravit Synodum, & in ea inter cætera Decretum fecit, ut poſthac Cognatorum Nuptiæ usq; ad quartum gradum incluſivè eſſent prohibitæ.

Relatum eſt poſtmodum id ipſum Decretum, â Gratiano in capitulum: non debet. extr. de Conſ. & Affin. & verbotenus ita ſonat: Prohibitio quoq; copulæ conjugalis, quartũ Cõſanguinitatis & Affinitatis gradũ de cætero non excedat. quoniã in ulterioribus gradibus, nõ poteſt, absq; gravi diſpendio, hujusmodi prohibitio generaliter obſervari. Quaternarius verò numerus benè congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apoſtolus, quòd vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier: neq; mulier habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir. quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtant ex IV elementis. &c.

Quæ ratio de quatuor humoribus, ex quatuor elementis conſtantib⁹, multis poſſet ridicula apparere: Quæ enim conſequentia, â quatuor humoribus ad numerum quaternarium, prohibitionem conjugii corporalis involventem? niſi quis mentem Synodi penitius introſpexerit, quæ nulla fuit alia, quàm, ſicuti quatuor humores corporis humani, nimirum Sanguis, Cholera, Phlegma, Melancholia, qui conſtant ex quatuor elementis, videlicet ex Terra, Aqua, Aere & Igne, in quarta Generatione non penitus deficiant, ſed in quinta: ità Nuptias, absq; ſanguinis illius aviti commixtione, in prioribus quatuor gradibus fieri non poſſe, niſi in quinto, atq; ſic, conſequenter, in eodem quinto gradu conſanguineorum matrimonia demum fore concedenda.

Hæc Juris Canonici ordinatio ſive diſpoſitio, obligat quidem omnes, qui jurisdictioni Pontificali in Spiritualibus adhuc ſunt ſubjecti, ſub quibuscunq; aliàs Magiſtratibus ſuum habeant territorium, niſi alicubi pontificalis intercedat diſpenſatio: At qui jugum iſtud excuſſerunt, & in libertatem Evangelii JEsu Chriſti ſe aſſeruerunt, non patiuntur, in his caſibus, ſe obſtringi ultra id, quod Jus divinum & civile Romanum, aut iſtius Provinciæ, quam quisq; incolit, proprium, ab illis poſtulat. Rectè Chriſtophorus Beſoldus, dum erat noſter, de hoc negotio ſcriptum reliquit: In gemein/ das Canoniſche Recht / præſertim in Eccleſiaſticis cauſis bindet unß ferner nicht/ niſi quatenus in Eccleſiis noſtris eſt receptum atq; approbatum; ut Oratione hac de re ſingulari Eberhardus â Weihe deduxit. in conſil. ſpeciali ſuper quæſtione: an Patris diſſenſus ſponſalia reſcindat? p. 314. Congruenter admodùm ad mentem B. noſtri Lutheri, qui olim ſic ſe explicuit:

Es heiſſt/ gebt dem Kayſer/ was des Keiſers iſt/ und Gott/ was Gottes iſt. Weil denn das Keiſerliche Recht ſich der Eheſachen angenohmen/ als eines weltlichen Handels/ und dieſelbigen gefaſſet und geörtert/ ſolte mein lieber Babſt daſſelbige haben ſo laſſen bleiben/ und nicht in ein frembd Ampt greiffen/ daß ihm nicht befohlen war/ denn das heiſt mit gewalt geraubt und genohmen. Et poſt pauca: Wer ſich nun dem Babſt will unterwerffen/ der fahre immer hin/ ich will nicht bewilligen in ſolchen Bäpſtlichen Raub/ Tom. 5. Jen. germ. von Eheſachen, fol. 256. in fine A.

Deniq;, quod attinet jura privata, quæ ſunt, vel Municipalia, vel Provincialia: illa ſic dicuntur, quatenus uniuscujusq; civitatis ſunt propria; Hæc verò, quatenus totius alicuj⁹ provinciæ incolas devinciunt, &c. Utrorumq; eam agnoſcimus autoritatem, quam Calliſtratus ſequentibus verbis ipſis tribuit: Quod ſemel Ordo decrevit, non oportet reſcindi, niſi ex cauſa i. e. niſi ad manifeſtam, eamq; publicam utilitatem prioris decreti, reſciſſio reſpiciat, per L. 5 quod ſemel. ff. de Decr. ab Ordin. fac. illisq;, permittimus poteſtatem condendi leges ſalutares, etiam quoad caſus matrimoniales, ita tamen, ne quid in illis diſponatur aut ſanciatur, quod vel divino vel civili jure, quæ in hac materia paribus paſſibus ambulant, ſit adverſum. Nam ſicut Illud quemlibet hominem, ne ſummô quidem Pontifice exceptô, usq; ad animam & ſanguinem tueri oportet, cap. ſunt quidam. c. 25. q. 1. ſic Hoc, non niſi Imperatoria interpretatione, eaq; unicâ, poteſt emendari, L. 9. Leges ſacratiſſimæ. C. de Legib.

Quandò igitur ſapientiſſimi horum jurium latores, per quotidianam experientiam, cognoverunt, multiplicatis filiis hominum, nonnullos ex immoderata concupiſcentia in nefarias proruere nuptias; alios, per intervenientes nuptias Conſobrinorum, propinquitatis numerum admodùm coanguſtare, & duas neceſſitudines ſub unam perſonam coarctare, cum duæ potius eas habere & potuiſſent & debuiſſent &c. huic malo remedium adhibendum putârunt, quò & nefariæ nuptiæ evitarentur, & numerus propinquitatis extenderetur. Nullum autem commodius excogitare potuerunt, quàm ſi Gradibus in divino & civili jure prohibitis, de ſuo adhuc unum & alterum gradum adjicerent. Sic enim futurum cenſuerunt, ut, propter obſervationem graduum remotiorum & ſuperadditorum, propiores gradus, quos jus divinum & civile expreſſit, minus violarentur, & ſic nefariæ nuptiæ magis præcaverentur, nec non neceſſitudines in plures familias diſpergerentur & propagarentur. ſiquidem multos propinquos reddunt, qui filias, ultrò citroq;, ſive dant, ſive accipiunt. Idcircò & his juribus ſuum vigorem ſalvum ſartumq; decernimus.

Quia

Quia autem & iſta non ſunt paria, ſed ſingula ad Status ſui conditionem accommodata & Coordinata, ſic etiam in determinandis matrimonii gradibus non ubivis ſunt conſona. Etenim quædam prohibent usq; ad quartum gradum: quædam usq; ad tertium lineæ æqualis & inæqualis, quædam, usq, ad tertium lineæ ſaltem inæqualis: Proinde Subditos, præcipuè verò Paſtores, cauſarum matrimonialium gnaros eſſe oportebit, potiſſimùm in iis Ditionibus, in quibus fixam ſedem habent, & officium ſuum Eccleſiaſticum obeunt; Quod ſi verò difficultas oboriatur, quæ captum eorum excedat, præ cæteris verò, ſi Diſpenſatio alicubi urgeatur. nã noviter emergente cauſa, hujuſmodi jura à Magiſtratu, ſub quo uſitata ſunt, ſi non facilè abrogari, interdum tamen limitari aut diſpenſari poſſunt &c. eosdem propria autoritate nihil decidere, ſed ad diſcretos judices referre, aut ad ipſum Magiſtratum confugere decebit, ac indè ſolidam atq; ratam deciſionem expectare.

Hiermit will ichs beſchlieſſen/ und auf dißmaln laſſen/ auch meinen Lieben Herrn und Brüdern/ den Pfarrherrn und Seelſorgern rathen/ daß Sie die Eheſachen/ alß weltliche Händel in weltlichen Rechten verfaſſet/ von ſich weiſen/ und Sich der entſchlahen/ ſo viel Sie immer mögen/ und laſſen die Obrigkeit oder Officialn darmit umbgehen/ cum B. Luthero T. 5. Jen. germ. von Eheſachen/ fol. 256. b.

## VI.

## Quænam Matrimonia inter Affines, bonâ cum Conſcientiâ, poſſint contrahi?

Sed & hîc neceſſitas poſtulabit, prius quædam monere de Affinitate, Lineis atq; gradibus, quàm ad ipſam tractationem deſcendamus.

Eſt autem Affinitas, quaſi Finium unitas. ſumtâ metaphorâ ab Agris, ob quorum fines, per quos ſe mutuò attingunt coloni, ſive Domini iſtorum agrorum, ſortiuntur appellationem Affinium, quatenus nempè Agri eorum, in certa quadam extremitate ſive fine, invicem junguntur & uniuntur. Et quemadmodum hîc conterminatio agrorum, in certis finibus tantum efficit, ut coloni inter ſe affines conſtituantur, affinitatisq; nomen verè participent: ſic quando duæ cognationes ſive familiæ, tanquam par Agrorum, interventu nuptiarum, ceu certo quodam fine, conterminantur, tunc & nomen & rem Affinitatis, certô modô, inter ſe cõparant.

Certô modô, dico, quia non in toto, ſed parte duntaxat Cognationis, finitur hujuſmodi Affinitas. Quemadmodum enim duo agri, conter-

mini

mini non contingunt ſeſe ex toto, aut in omnibus partibus, ſed finibus, veluti certo quodam termino: ſic Affinitas, non inter totam pariter utriusq; conjugis familiam ſeu cognationem, ſed tantùm inter alterutrum conjugum, h. e. inter maritum & conſanguineos uxoris, & rurſus, inter uxorem & conſanguineos mariti propriè intercedit.

Vulgò quidem indiſcriminatim dicuntur Affines inter ſe, quotquot marito vel uxori ſanguine juncti ſunt: quò etiam Duarenus *inclinat*, aſſerens, omnes utrinq; Cognatos invicem eſſe Affines, & quisquis hoc neget, corrumpere Modeſtini verba, dicentis, Affines eſſe Viri & Uxoris cognatos, Comm. de ſolut. Matri c. 3. p. 248: Sed non moramur vulgarem loquendi modum, opponimus potius accuratiorem, quem Gratianus ſuppeditat, c. quod ſuper. 5. de Conſang. ubi ſic ait: licet omnes conſanguinei Viri ſint affines uxoris, & omnes conſanguinei uxoris, ſint affines Viri: inter conſanguineos tamen uxoris & viri, ex eorundem (ſcilicet Viri & Uxoris) conjugiô NULLA prorſus contracta eſt Affinitas, id eſt, annotante Gloſſatore, Affinitas contracta inter conſanguineos Viri & Uxorem *ipſius*, NON tranſit ad conſanguineos uxoris, & è converſo.

Militat etiam pro hac ſententia manifeſta ratio. Certum enim eſt, fundamentum Affinitatis ex una parte eſſe uxorem; terminum autem, cognationem Viri: & viciſſim, ex altera parte fundamentum eſſe maritum, terminũ autem, uxoris cognationem: At fundamento hoc conterminationis deſtituuntur cognati, ſi utrinq; conferantur, quippe nemine eorum utriusque Cognationis fines attingente. Vir ſolummodò attingit terminum ſive finẽ cognationis ſuæ uxoris, & nemo præterea, ex omnibus ſuis conſanguineis. Similiter, uxor ſaltem attingit terminum ſive finem cognationis ſui mariti, & nemo præterea ex omnibus ſuis cognatis ſive conſanguineis. Quomodò igitur, deficiente fundamentô, verè invicem ſalutabuntur Affines?

Duareno reſpondemus, quòd Modeſtinum retortô oculô inſpexerit, & verba ejus mutilatè allegaverit. Totus contextus, l. 4. ff. de grad. & affinibus, §. 3. ità ſe habet: Affines ſunt Viri & Uxoris cognati, dicti ab eo, quòd duæ cognationes, quæ diverſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Unde manifeſtum evadit, affines non dici, qui totam cognationem utrinq; complectantur: ſed qui ad alterius cognationis finem accedant.

Erit igitur Affinitas, neceſſitudo ſive proximitas perſonarum, ex interventu Nuptiarum reſultans, quâ maritus conſanguineis uxoris, & conſanguineis mariti uxor fit affinis.

Porrò, licet Affinitatis propriè nullæ ſint lineæ, tamen, ad exemplum Conſanguinitatis, tres quoq; lineæ conſtituuntur: Una recta, quæ eſt Aſcendentium,

dentium & Deſcendentium: & duæ collaterales, quarum una in dextro latere complectitur eos, qui referunt agnatos; altera in ſiniſtro iſtos, qui referunt cognatos, quatenus cum alterutris jus affinitatis intercedit.

In quibus quo minus aberretur, juvat ſingulorum nomina & ſitum apponere. Stipes hujus proximitatis, quam Affinitatem dicimus, eſt ea perſona, de cujus affinitate quæſtio inſtituitur: Hujus Aſcendentes primò locô ſunt, Socer, qui eſt mariti, vel uxoris Pater, der Schweheꝛvatter: Socrus, quæ eſt mariti, vel uxoris Mater, die Schwiger Mutter: item, Vitricus, qui illius ſive matrem, ſive novercam duxit, der Stieff Vatter: Noverca, quæ aut Patri illius, aut vitrico nupſit, die Stieff Mutter. Secundò inter Aſcendentes locô ſunt Proſocer, qui eſt Soceri pater, Socrusve, & uxoris vel mariti avus, der Groß Schweher: Proſocrus, quæ eſt Soceri vel Socrus mater, & uxoris vel mariti avia, die Groß Schwieger. Item, Provitricus, Vitrici Pater, ein Stieff Anherr: Pronoverca, Vitrici Mater, Stieff Anfraw.

Licet autem ulteriorem Soccrorum & Socruum, Vitricorum & Novercarum, in jure vix fiat mentio; quando tamen, ſi uſus ſic exigat, Proſoceri pater, Abſocer, Proſocrûs mater, Abſocrus; & ſic deinceps, Atſocer, Atſocrus, Triſocer, Triſocrus: Item, Abvitricus, Abnoverca: Atvitricus, Atnoverca: Trivitric⁹, Trinoverca &c. rectè dici & appellari poſſint, nulla dubito. cum nulla ratio hujuſcemodi appellationes excludat.

Deſcendentes primò locô ſunt, Gener, qui eſt filiæ maritus, Eydam: Nurus, quæ eſt Filii uxor, Schnur. Itē, Privign⁹, ex alio conjuge genitus, ein Stieffſohn: Privigna, ex alio conjuge genita, ein Stieff Tochter. Secundò locô inter Deſcendentes ſunt, Pro-gener, qui eſt Neptis maritus: Pronurus, quæ eſt Nepotis uxor. Item, Proprivignus, Proprivigna. Tertiò, maritus Proneptis, uxor Pronepotis. Item, Abprivignus, Abprivigna. Quotquot enim hos ſequuntur, rectius communi Deſcendentium nomine circumſcribentur, quàm ut diſtinctis & peculiaribus nominibus inſigniantur.

Collaterales in dextro latere, & quidem lineæ æqualis; primò locô ſunt Levir, qui eſt frater mariti: Glos, quæ eſt ſoror mariti: uxoris frater, ſpeciale nomen non habet, c. quod autem 5. cauſa 35. q. 5. Fratria vel fratriſſa, fratris uxor. Secundò locô ejusdem lineæ ſunt, uxor Patruelis & Amitini, maritus patruelis, & amitinæ. In eodem latere, ſed lineæ inæqualis ſunt vel ſuperiores, nempe uxor Patrui, & maritus Amitæ: vel inferiores, ut uxor filii fratris, & maritus filiæ fratris. Collaterales in ſiniſtro latere, & quidem lineæ æqualis, primò locô ſunt Sororis maritus, qui aliàs Sororius cognominari ſuevit. Item, uxoris frater & ſoror. Ejusdem lineæ, ſed, ſecundò locô, ſunt, uxor Conſobrini, maritus Conſobrinæ. In eodem latere, ſed lineæ inæqualis ſunt, vel Superiores, nempe uxor Avunculi, &

 mari-

maritus Materteræ ; vel Inferiores, uxor filii ſororis, maritus filiæ ſororis.

Amplius, ut in Affinitate propriè nullæ lineæ, ſic multò minus ibidem dantur gradus, propriè ſic dicti. Patet hoc non tantùm autoritate Modeſtini, expreſsè dicentis: Gradus Affinitati nulli ſunt, l. 4. §. 5. ff. de Gradib. & Affin: Sed & manifeſtâ ratione. Nam, ubi gradus propriè dictus, ibi ſeries generationis, juxta vulgatam Regulam: quot ſunt generationes, tot ſunt gradus. At, inter affines nulla intercedit generatio. nam Affinis nō generat Affinem, nec ab Affine generatur. Hoc enim Conſanguineis manet proprium. Quomodò igitur ibi dabitur gradus propriè ſic dictus? Sicut autem Conſanguinitatis imago quædam elucet in Affinitate, ita, per ſimilitudinem quandam, conſtituuntur etiam inter Affines gradus, ad modum atq; formam cognationis, ſed analogicè modò ſic dicti, id eſt, qui exprimunt nudum intervallum, commonefaciens, quotô numerô Affines, vel a ſtipite, vel inter ſe diſtent.

Ipſam rem quod attinet: Quinam Affines, licitè & bona cum Conſcientia, inter ſe poſſint contrahere, vel non? tribus ſequentibus Regulis eam expeditam dabimus. Prima erit de Aſcendentibus & Deſcendentibus, in hunc modum: Quemadmodum in Conſanguinitate, inter Aſcendentes & Deſcendentes matrimonium in Infinitum eſt prohibitum: Sic in Affinitate, inter Aſcendentes & Deſcendentes Affines, perpetua militat prohibitio. Ratio Regulæ utrobique eſt eadem. Ut enim ibi Aſcendentes & Deſcendentes ſibi mutuò verè ſunt parentum & liberorum inſtar, ita & hîc analogicè. Atqui hos naturalis ratio vetat conjungi. Cui etiam reliqua Jura conſentiunt: Divinum, Lev. 18. & 20. Canonicum, quod, ex ſanctione Concilii Agathenſis, hujusmodi contrahentes nullo Conjugii nomine deputandos pronunciat, cap. de Inceſtis. C. 35. q. 2. & Civile, in quo Imperator ita definit: In contrahendis matrimoniis naturale jus, & pudor inſpiciendus eſt: contra pudorem autem eſt, Filiam (& contrà) uxorem ſuam ducere, L. 14. Adoptivus. §. 2. ff. de ritu Nupt.

Secunda talis: Quemadmodum in Conſanguinitate de jure divino, quantum Collaterales concernit, prohibitus tantùm eſt primus gradus lineæ æqualis, & ſecundus lineæ inæqualis; Sic in affinitate, quoad Collaterales, ſimiliter, eodem jure, prohibitus eſt primus gradus lineæ æqualis, & ſecundus lineæ inæqualis. Fundamentum tam hujus, quàm præcedentis Regulæ locant exempla, ea de re in Scriptura propoſita. Nam omnia exēpla, quæ ibi adducuntur, arguunt quidem, in Affinitate matrimonia Aſcendentium & Deſcendentium prohibita eſſe in infinitum: At, quoad Collaterales, ſe non extendunt ultra primum gradum lineæ æqualis, & ſecundum lineæ inæqualis.

Αυϑεντία totum negotium elucidabit clarius: In Levitico novem perſonæ reperiuntur, quarum Affinitas improbatur, quæ omnes vel ſunt Aſcendentes, vel Deſcendentes, vel Collaterales, & hi quidem, non niſi in primo gradu lineæ æqualis, & ſecundo lineæ inæqualis. Examinabimus ſingulas: Lev. 18. ℣. 8. primô locô ponitur Noverca, quæ pertinet ad Aſcẽdentes, & matrimonium cum hac propterea interdicitur, quia Pater tuus & Noverca tua, facti ſunt una Caro, quemadmodum prius Pater tuus & Mater tua fuerant una Caro. perindè igitur Tibi ab ea abſtinendum fuerit, ut à propria Matre. Etiam in N. T. facinus, contra hoc interdictum commiſſum, ſeverè exaggeratur & graviter vindicatur, 1. Cor. 5. ℣. 1. Secundô locô ponitur Socrus, Lev. 20. ℣. 14. quæ ſimiliter ſpectat ad Aſcendentes, & interdicitur cum ea matrimonium. quia Socrus eſt Tibi inſtar Matris, quisquis duxerit eam, pœnæ ſe ſubdet, de qua Lev. 20. ℣. 14. Deut. 27. ℣. 23. Tertiô locô ponitur Uxor Patrui, Lev. 18. ℣. 14. quæ pertinet ad Collaterales, & quidem ad ſecundum gradum Affinitatis in linea inæquali. Declarationem ſuppeditabit ſequens ſchema:

Thare
Abraham - Nahor, Milca.
Iſaac.

Hîc Nahor eſt Iſaaci patruus, nempe frater Abrahami, iſtius Nahoris uxor eſt Milca, à qua ducenda abſtinendum fuerit Iſaaco, quippe gradu ſecundo Affinitatis lineæ inæqualis ipſi conjunctâ. Ratio interdicti eſt: quia, quemadmodum patruus in Conſanguinitate, gradu ſecundo lineæ inæqualis diſtinctus, Tibi patris locô eſt: ſic uxor ejus, quæ cum patruo tuo per conjugium una caro facta, & ideò in Affinitate gradu ſecundo lineæ inæqualis tibi juncta eſt, ſimiliter matris locô erit habenda. Inter liberos autem & parẽtes nullum ſuccedit matrimonium. Pœna in hujusmodi delinquentes conſtituta legitur, Lev. 20. ℣. 20. Quartô locô ponitur Nurus, Lev. 18. ℣. 15. quæ pertinet ad Deſcendentes, & Socero juncta eſt in primo gradu Affinitatis, & quaſi filia ipſius facta eſt, per & propter connubium, cum filio initum, & ideò meritò matrimonium eorum prohibitum, tam ſeverè, ut in Transgreſſores pœna mortis decernatur, Lev. 20. ℣. 12. Quintô locô ponitur Privigna, Lev. 18. ℣. 17. & pertinet ad Deſcendentes, interdiciturque matrimonium cum ea, quia Vitrico primo gradu affinitatis eſt juncta, atq; propter conjugium, cum matre initum, æſtimatur, ut filia ipſius: militatq; eadem hîc ratio, quæ in aliis, in quibus Parentum & Liberorum nuptiæ penitus ſunt interdictæ. Sextô locô ponitur Filia Privigni, & ſeptimo Filia Privignæ, Lev. 18. ℣. 17. quæ utrinq; pertinẽt ad Deſcẽdẽtes, interdiciturq; earũ conjugiũ, quia Vitrico ſunt loco Neptũ. Inter Avum autẽ & Neptes, ſicut inter quoſcũq; Aſcendẽtes & Deſcendẽtes, omne expirat matrimoniũ. octa-

communi parenti, ut uno tantùm gradu ab eo diſtet, tunc ab illius nuptiis abſtineri debet. quia veluti parens quodammodò eſſe intelligitur, *Comm.* ad tit. Soluto matrim. p 248.

Hos autem gradus, divinitùs prohibitos, ità indiſpenſabiles pronunciamus, ut nulli poteſtati humanæ, quantacunq; illa ſit, diſpenſationem circa iſtos permittamus, ne quidem pontificali ſede excepta; quicquid Concilium Trident. Seſſ. 24. c. 3. & 5. contrà definiat. Nam, etſi vel Papa, quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ, deſtruere niteretur, non ſententiã dicere, ſed magis errare inveniretur, inquit ipſe Urbanus C. ſunt quidã. 25. quia quod divinitùs promulgatum eſt, niſi à Deo, qui tradidit, mutari omninò non patitur, juxta Bernh Tr. de Præc. & Diſpenſ. p. 1071. cui meritò ſubjungimus celebratiſſimũ J C. Cujaciũ, qui in recitatione ad 4. Decret. Tit. 19. p. 558. introducit Innocentium, in *Decretali* quadam, ad *Comitem N*. vernenſem, ſic differentem: Inter divinas & humanas leges tanta eſt diſtantia, ut contra Leges divinas nunquam valeat Diſpenſatio; contra humanas verò leges diſpenſari poſſit aliquandò, prout neceſſitas vel voluntas poſtulabit.

Variæ circa hanc regulam moveri poſſent quæſtiones, ſed parcemus operæ, & unam atq; alteram duntaxat delibabimus.

Prima eſt: Quid de conjugio, quod fratres & ſorores inter ſe ineunt, ſit ſtatuendum? Reſpondemus, id quidem in primordiô generis humani toleratum fuiſſe à Deo, ob ſummam neceſſitatem. quomodo enim aliter genus humanum propagari potuiſſet, ſi fratres & ſorores mutuis matrimoniis non fuiſſent juncti? tempore pòſt autem, iſta tolerantia ſeverô interdictô fuit ſublata & abolita, Lev, 18. *ỳ. 9*. Pertinet huc obſervatio B. Auguſtini, qui l. 15. de C. D. *C. 16*. ſic infit: Cum igitur Genus humanum poſt copulam Viri, facti ex pulvere, & conjugis ejus, ex Viri latere, marium fæminarumq; commixtione opus haberet, ut gignendo multiplicarentur, nec eſſent ulli homines, niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent, Viri conjuges ſuas ſorores acceperunt: quod profectò quantò eſt antiquius compellente neceſſitate, tantò poſtea damnabilius, religione prohibente!

Dices: Tamen per ſe & naturâ ſuâ hujuſmodi conjugia fuêre illicita. Ergò nullo caſu, quicunq; etiam fingatur, potuerunt legitimari. Reſpondeo, quid alij hîc intricent, non multum moramur: legantur ea apud alios, Helvicum nimirum in Vindiciis locorum V. T. Chriſtian. Matthiæ in Polit. p. 378. Bellarm. 1. de Matrim. c. 27: Nobis ea ſtat ſententia, hujuſmodi Conjugia naturâ non fuiſſe illicita, aliàs ne Deus quidem in illis diſpenſare potuiſſet, niſi contra ſuam ipſius naturam facere voluiſſet: ſed juri na-

tura

turæ duntaxat ſubjacere matrimonia Aſcendentium & Deſcendentium; reliqua Collateralium omnia, eſſe juris poſitivi, & idcircò diſpenſationem & interpretationem poſſe admittere, ubicunq; ſupremo Legislatori ità viſum fuerit neceſſarium. De impoſſibilitate autem Diſpenſationis in Lege Naturæ, conſuli poterit Hornejus l. 4. Ethic. c. 3. §. 40.

Secunda quærit: quid de iſtis nuptiis ſtatuendum, quas cum fratris vel ſororis ſuæ filia quis adornat? Reſpondeo: vix rectius fecerimus, quàm ſi ejus controverſiæ judicem, ipſos JC. audiverimus, qui talem ferunt ſententiam: Ab inceſtis nuptiis univerſi noverint temperandum. Nam Reſcripta quæq; omnia; vel pragmaticas formas, aut conſtitutiones impias, quæ quibusdam perſonis, tyrannidis tempore, permiſerunt, ſceleſto contubernio matrimonii nomen imponere, ut Fratris filiam vel Sororis, vel eam, quæ cum Fratre quondam nuptiali jure habitaverat, uxorem legitimam, turpiſſimô conſortiô, liceret amplecti, aut, ut alia hujuſmodi committerentur, viribus carere decernimus, ex L. 9. ab inceſtis. *C.* de inceſt. & inutilibus Nuptiis. Si tam religioſi in re iſta Jurisconſulti, quid non facient Theologi? quibus plusquam notum eſt, Patruum aut Avunculum, ſe habere inſtar parentum, quibus cum Neptibus, ſive ex fratre, ſive ex ſorore, nunquam poſſit intercedere conjugium.

Tertia quærit: Quid faciendum tum, ſi hujuſmodi matrimonia, vel ex imprudentia, vel planè ex ignorantia fuerint contracta; re autem compertâ, ſed non amplius integrâ, â Comparibus nolint reſcindi? Reſpondeo: tales nuptiæ, quia contra præceptum divinum ſunt initæ, ipsô jure æſtimantur nullæ. nam vitioſum & nullum, apud *Prudentiores* æquiparantur, ex L. 6. quotiens. ff. Qui ſatisdare cogantur: ideoq; optimô titulô poſſent reſcindi; eſſetq; ſæpè è re, protinus reſcindi, quò *C*onſcientiæ maturè liberarentur, & à remorſiunculis non ſubindè vexarentur & cruciarentur. Quòd ſi verò Magiſtratus jure ſuo uti nolit, idq; ob honorem matrimonii: nec contra voluntatem *C*omparium divortium inſtituere, jus faſq; tamen erit, ut in delinquentes æquâ pœnâ animadvertat, ne videatur vel peccata velle fomentare, vel ſcandalis incentiva ſubminiſtrare: Præterea & ipſi autores, lapſum ſuum, quô ſe implicuerunt, deplorabunt, Magiſtratus pœnam patienter ſuſtinebunt, & inſuper DEUM ardenter implorabunt, ut commiſſum errorem ità condonet, ne vel ſibi vel liberis ſuis, ſi qui futuri ſint, iniquitas porrò in probroſam ignominiam, aut immanem vergat ruinam: Solatio illis fuerit Paulinum iſtud: Miſerebitur noſtri Dominus. nam ignorantes id faciebamus, 1. Tim. 1. 13.

A jure divino ad jus Civile ſi deſcenderimus, deprehendemus, illud

cum jure divino planè concordare. prohibet enim nuptias perſonarum, quæ ſunt in linea recta omnium: quæ verò in Collaterali, earum, quæ vel primô gradu lineæ æqualis, vel ſecundô lineæ inæqualis invicem ſunt junctæ. De linea recta, Aſcendentium & Deſcendentium, ſic Imperator: Quisquis ex gradu Aſcendentium & Deſcendentium uxorem duxerit, iure Gentium inceſtum committit, L. 68. Jure Gen. ff. de ritu Nupt. Conjugium fratrum & ſororum, quod eſt primi gradus lineæ æqualis, interdicitur, §. inter eas. 3. Inſtit. de Nupt. Conjugium cum fratris vel ſororis filia, improbatur, l. 9. C. de inceſt. & inutilib. Nupt. item cum amita & matertera, l. 17. per adoptionem. §. 2. ff. de ritu Nupt. Quorum utrumq; eſt ſecundi gradus lineæ inæqualis.

Incidit quidem liticula ſuper conjugiô Patruelium & Conſobrinorum, quod de jure civili videtur eſſe prohibitum, §. duorum. Inſtitut. de Nupt. cum tamen jus divinum ab hujusmodi nuptiis non ſit alienum, vel ipſo Gerhardo teſte L. C. de Conjugio, §. 326. Sed ejus deciſionem invenies apud Alberic. Gentil. l. 5. de Nupt. c. 11. & D. Sebaſt. Beer. in Vindic. ad Sutholt. Differt. 2. Aphor. 36.

Hoc interim negare non poſſumus, Theodoſium M. iſtas Conſobrinorum nuptias ſuſtuliſſe, non ob conſenſum cum jure divino, quaſi idem conjugium ibi eſſet interdictum, quemadmodum Ambroſius conjectat, l. 8. Ep. 66. in eo lapſus memoriâ, ſecundum Bezam de Repud. & Divort. p. 37. ſed, ut divina prohibitio proximorum graduum, majore reverentiâ obſervaretur, ut Bechſtadius annotat in Collatione Jur. Connub. p. 73: Verùm conſtitutio iſta fuit ſaltem temporaria, & cum Theodoſii morte extincta. Poſtquam enim Arcadius & Honorius rerum potiti ſunt, qui filii erant Theodoſii M. illam Patris diſpoſitionem rurſus ſuſtulerunt & abrogârunt, haud absq; prægnantibus cauſis, uti videre eſt in L. 19. celebrandis. C. de Nuptiis.

Quod ad Jus Canonicum ſpectat, licet id, quoad lineam Rectam tam cum jure divino, quàm civili usquequaq; conſentiat, & pariter matrimonium inter Aſcendentes & Deſcendentes, in infinitum prohibeat, vel Panormitano conteſtante, ad cap. non debet. n. 8. extra de Conſang. & Affin. Tamen quoad lineam collateralem, ab utroq; recedit, matrimonium prohibendô olim usq; ad ſeptimum gradum, quemadmodum patet per c. nullum. 35. q. 2. utrùm autem tunc Veteres civilem numerationê attenderint, necne? anxius non inquiro: graviter de hoc diſſeruit Cujacius, recitatione in 4. Decr. Tit. 14. de Conſ. & Affin. cap. pen. p. 523. Hodiè verò communiter usq; ad gradum quartum, incluſivè, hoc eſt, ut in ipſo quartô gradu non liceat matrimonium inire, ſed in quinto demum, attentâ etiam & facta

factâ computatione canonicâ, non civili, Schneid. ad Inſt de Nupt. p. 80.

Quæ Conſtitutio demum roborata eſt in Synodo Lateranenſi, ſub Innocentio III. Epiſcopo Romano, qui, juxta Onuphrium in Chron. Pontif. Annô 1215. Romæ, in Baſilica Lateranenſi, celebravit Synodum, & in ea inter cætera Decretum fecit, ut poſthac Cognatorum Nuptiæ usq; ad quartum gradum incluſivè eſſent prohibitæ.

Relatum eſt poſtmodum id ipſum Decretum, â Gratiano in capitulum: non debet. extr. de Conſ. & Affin. & verbotenus ita ſonat: Prohibitio quoq; copulæ conjugalis, quartũ Cõſanguinitatis & Affinitatis gradũ de cætero non excedat. quoniã in ulterioribus gradibus, nõ poteſt, absq; gravi diſpendio, hujusmodi prohibitio generaliter obſervari. Quaternarius verò numerus benè congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apoſtolus, quòd vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier: neq; mulier habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir. quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtant ex IV elementis. &c.

Quæ ratio de quatuor humoribus, ex quatuor elementis conſtantib⁹, multis poſſet ridicula apparere: Quæ enim conſequentia, â quatuor humoribus ad numerum quaternarium, prohibitionem conjugii corporalis involventem? niſi quis mentem Synodi penitius introſpexerit, quæ nulla fuit alia, quàm, ſicuti quatuor humores corporis humani, nimirum Sanguis, Cholera, Phlegma, Melancholia, qui conſtant ex quatuor elementis, videlicet ex Terra, Aqua, Aere & Igne, in quarta Generatione non penitus deficiant, ſed in quinta: ità Nuptias, absq; ſanguinis illius aviti commixtione, in prioribus quatuor gradibus fieri non poſſe, niſi in quinto, atq; ſic, conſequenter, in eodem quinto gradu conſanguineorum matrimonia demum fore concedenda.

Hæc Juris Canonici ordinatio ſive diſpoſitio, obligat quidem omnes, qui jurisdictioni Pontificali in Spiritualibus adhuc ſunt ſubjecti, ſub quibuscunq; aliàs Magiſtratibus ſuum habeant territorium, niſi alicubi pontificalis intercedat diſpenſatio: At qui jugum iſtud excuſſerunt, & in libertatem Evangelii Jesu Chriſti ſe aſſeruerunt, non patiuntur, in his caſibus, ſe obſtringi ultra id, quod Jus divinum & civile Romanum, aut iſtius Provinciæ, quam quisq; incolit, proprium, ab illis poſtulat. Rectè Chriſtophorus Beſoldus, dum erat noſter, de hoc negotio ſcriptum reliquit: In gemein das Canoniſche Recht / præſertim in Eccleſiaſticis cauſis bindet unß ferner nicht / niſi quatenus in Eccleſiis noſtris eſt receptum atq; approbatum; ut Oratione hac de re ſingulari Eberhardus â Weihe deduxit. in conſil. ſpeciali ſuper quæſtione: an Patris diſſenſus ſponſalia reſcindat? p. 314. Congruenter admodùm ad mentem B. noſtri Lutheri, qui olim ſic ſe explicuit:

Es heiſſt/ gebt dem Kayſer/ was des Keiſers iſt/ und Gott/ was Gottes iſt. Weil denn das Keiſerliche Recht ſich der Eheſachen angenohmen/ als eines weltlichen Handels/ und dieſelbigen gefaſſet und geörtert/ ſolte mein lieber Babſt daſſelbige haben ſo laſſen bleiben/ und nicht in ein frembd Ampt greiffen/ daß ihm nicht befohlen war/ denn das heiſt mit gewalt geraubt und genohmen. Et poſt pauca: Wer ſich nun dem Babſt will unterwerffen/ der fahre immer hin/ ich will nicht bewilligen in ſolchen Bäpſtlichen Raub/ Tom. 5. Jen. germ. von Eheſachen. fol. 256. in fine A.

Deniq;, quod attinet jura privata, quæ ſunt, vel Municipalia, vel Provincialia: illa ſic dicuntur, quatenus uniuscujusq; civitatis ſunt propria; Hæc verò, quatenus totius alicuj⁹ provinciæ incolas devinciunt, &c. Utrorumq; eam agnoſcimus autoritatem, quam Calliſtratus ſequentibus verbis ipſis tribuit: Quod ſemel Ordo decrevit, non oportet reſcindi, niſi ex cauſa i. e. niſi ad manifeſtam, eamq; publicam utilitatem prioris decreti, reſciſſio reſpiciat, per L. 5. quod ſemel. ff. de Decr. ab Ordin. fac. illisq;, permittimus poteſtatem condendi leges ſalutares, etiam quoad caſus matrimoniales, ita tamen, ne quid in illis diſponatur aut ſanciatur, quod vel divino vel civili jure, quæ in hac materia paribus paſſibus ambulant, ſit adverſum. Nam ſicut Illud quemlibet hominem, ne ſummô quidem Pontifice exceptô, usq; ad animam & ſanguinem tueri oportet, cap. ſunt quidam. c. 25. q. 1. ſic Hoc, non niſi Imperatoria interpretatione, eaq; unicâ, poteſt emendari, L. 9. Leges ſacratiſſimæ. C. de Legib.

Quandô igitur ſapientiſſimi horum jurium latores, per quotidianam experientiam, cognoverunt, multiplicatis filiis hominum, nonnullos ex immoderata concupiſcentia in nefarias proruere nuptias; alios, per intervenientes nuptias Conſobrinorum, propinquitatis numerum admodùm coanguſtare, & duas neceſſitudines ſub unam perſonam coarctare, cum duæ potius eas habere & potuiſſent & debuiſſent &c. huic malo remedium adhibendum putârunt, quò & nefariæ nuptiæ evitarentur, & numerus propinquitatis extenderetur. Nullum autem commodius excogitare potuerunt, quàm ſi Gradibus in divino & civili jure prohibitis, de ſuo adhuc unum & alterum gradum adjicerent. Sic enim futurum cenſuerunt, ut, propter obſervationem graduum remotiorum & ſuperadditorum, propiores gradus, quos jus divinum & civile expreſſit, minus violarentur, & ſic nefariæ nuptiæ magis præcaverentur, nec non neceſſitudines in plures familias diſpergerentur & propagarentur. ſiquidem multos propinquos reddunt, qui filias, ultrò citroq;, ſive dant, ſive accipiunt. Idcircò & his juribus ſuum vigorem ſalvum ſartumq; decernimus.

Quia

Quia autem & iſta non ſunt paria, ſed ſingula ad Status ſui conditionem accommodata & Coordinata, ſic etiam in determinandis matrimonii gradibus non ubivis ſunt conſona. Etenim quædam prohibent usq; ad quartum gradum: quædam usq; ad tertium lineæ æqualis & inæqualis, quædam, usq, ad tertium lineæ ſaltem inæqualis: Proinde Subditos, præcipuè verò Paſtores, cauſarum matrimonialium gnaros eſſe oportebit, potiſſimùm in iis Ditionibus, in quibus fixam ſedem habent, & officium ſuum Eccleſiaſticum obeunt; Quod ſi verò difficultas oboriatur, quæ captum eorum excedat, præ cæteris verò, ſi Diſpenſatio alicubi urgeatur. nā noviter emergente cauſa, hujuſmodi jura à Magiſtratu, ſub quo uſitata ſunt, ſi non facilè abrogari, interdum tamen limitari aut diſpenſari poſſunt &c. eosdem propria autoritate nihil decidere, ſed ad diſcretos judices referre, aut ad ipſum Magiſtratum confugere decebit, ac indè ſolidam atq; ratam deciſionem expectare.

Hiermit will ichs beſchlieſſen/ und auf diſsmaln laſſen/ auch meinen Lieben Herrn und Brüdern/ den Pfarrherrn und Seelſorgern rathen/ daſs Sie die Ehefachen/ alſs weltliche Händel in weltlichen Rechten verfaſſet/ von ſich weiſen/ und Sich der entſchlahen/ ſo viel Sie immer mögen/ und laſſen die Obrigkeit oder Officialn darmit umbgehen/ cum B. Luthero T. 5. Jen. germ. von Eheſachen/ fol. 156. b.

## VI.

## Quænam Matrimonia inter Affines, bonâ cum Conſcientiâ, poſſint contrahi?

Sed & hîc neceſſitas poſtulabit, prius quædam monere de Affinitate, Lineis atq; gradibus, quàm ad ipſam tractationem deſcendamus.

Eſt autem Affinitas, quaſi Finium unitas. ſumtâ metaphorâ ab Agris, ob quorum fines, per quos ſe mutuò attingunt coloni, ſive Domini iſtorum agrorum, ſortiuntur appellationem Affinium, quatenus nempè Agri eorum, in certa quadam extremitate ſive fine, invicem junguntur & uniuntur. Et quemadmodum hîc conterminatio agrorum, in certis finibus tantum efficit, ut coloni inter ſe affines conſtituantur, affinitatisq; nomen verè participent: ſic quando duæ cognationes ſive familiæ, tanquam par Agrorum, interventu nuptiarum, ceu certo quodam fine, conterminantur, tunc & nomen & rem Affinitatis, certô modô, inter ſe cōparant.

Certô modô, dico, quia non in toto, ſed parte duntaxat Cognationis, finitur hujuſmodi Affinitas. Quemadmodum enim duo agri, conter-

mini non contingunt ſeſe ex toto, aut in omnibus partibus, ſed finibus, veluti certo quodam termino: ſic Affinitas, non inter totam pariter utriusq; conjugis familiam ſeu cognationem, ſed tantùm inter alterutrum conjugum, h. e. inter maritum & conſanguineos uxoris, & rurſus, inter uxorem & conſanguineos mariti propriè intercedit.

Vulgò quidem indiſcriminatim dicuntur Affines inter ſe, quotquot marito vel uxori ſanguine juncti ſunt: quò etiam Duarenus inclinat, aſſerens, omnes utrinq; Cognatos invicem eſſe Affines, & quisquis hoc neget, corrumpere Modeſtini verba, dicentis, Affines eſſe Viri & Uxoris cognatos, Comm. de ſolut. Matri c. 3. p. 248: Sed non moramur vulgarem loquendi modum, opponimus potius accuratiorem, quem Gratianus ſuppeditat, c. quod ſuper. 5, de Conſang. ubi ſic ait: licet omnes conſanguinei Viri ſint affines uxoris, & omnes conſanguinei uxoris, ſint affines Viri: inter conſanguineos tamen uxoris & viri, ex eorundem (ſcilicet Viri & Uxoris) conjugiô NULLA prorſus contracta eſt Affinitas, id eſt, annotante Gloſſatore, Affinitas contracta inter conſanguineos Viri & Uxorem ipſius, NON tranſit ad conſanguineos uxoris, & è converſo.

Militat etiam pro hac ſententia manifeſta ratio: Certum enim eſt, fundamentum Affinitatis ex una parte eſſe uxorem; terminum autem, cognatinem Viri: & viciſſim, ex altera parte fundamentum eſſe maritum, terminū autem, uxoris cognationem: At fundamento hoc conterminationis deſtituuntur cognati, ſi utrinq; conſerantur. quippe nemine eorum utriusque Cognationis fines attingente. Vir ſolummodò attingit terminum ſive finē cognationis ſuæ uxoris, & nemo præterea, ex omnibus ſuis conſanguineis. Similiter, uxor ſaltem attingit terminum ſive finem cognationis ſui mariti, & nemo præterea ex omnibus ſuis cognatis ſive conſanguineis. Quomodò igitur, deficiente fundamentô, verè invicem ſalutabuntur Affines?

Duareno reſpondemus, quòd Modeſtinum retortô oculô inſpexerit, & verba ejus mutilatè allegaverit. Totus contextus, l. 4. ff. de grad. & affinibus, §. 3. ità ſe habet: Affines ſunt Viri & Uxoris cognati, dicti ab eo, quòd duæ cognationes, quæ diverſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Unde manifeſtum evadit, affines non dici, qui totam cognationem utrinq; complectantur: ſed qui ad alterius cognationis finem accedant.

Erit igitur Affinitas, neceſſitudo ſive proximitas perſonarum, ex interventu Nuptiarum reſultans, quâ maritus conſanguineis uxoris, & conſanguineis mariti uxor fit affinis.

Porrò, licet Affinitatis propriè nullæ ſint lineæ, tamen, ad exemplum Conſanguinitatis, tres quoq; lineæ conſtituuntur: Una recta, quæ eſt Aſcē-

dentium

dentium & Deſcendentium : & duæ collaterales, quarum una in dextro latere complectitur eos, qui referunt agnatos; altera in ſiniſtro iſtos, qui referunt cognatos, quatenus cum alterutris jus affinitatis intercedit.

In quibus quo minus aberretur, juvat ſingulorum nomina & ſitum apponere. Stipes hujus proximitatis, quam Affinitatem dicimus, eſt ea perſona, de cujus affinitate quæſtio inſtituitur: Hujus Aſcendentes primô locô ſunt, Socer, qui eſt mariti, vel uxoris Pater, der Schweherbatter: Socrus, quæ eſt mariti, vel uxoris Mater, die Schwiger Mutter: item, Vitricus, qui illius ſive matrem, ſive novercam duxit, der Stieff Vatter: Noverca, quæ aut Patri illius, aut vitrico nupſit, die Stieff Mutter. Secundô inter Aſcendentes locô ſunt *Proſocer*, qui eſt Soceri pater, Socrusve, & uxoris vel mariti avus, der Groß Schweher: Proſocrus, quæ eſt Soceri vel Socrus mater, & uxoris vel mariti avia, die Groß Schwieger. Item, Provitricus, Vitrici Pater, ein Stieff Anherr: Pronoverca, Vitrici Mater, Stieff Anfraw.

Licet autem ulteriorem Socerorum & *S*ocruum, Vitricorum & Novercarum, in jure vix fiat mentio; quando tamen, ſi uſus ſic exigat, *Proſoceri* pater, Abſocer, Proſocrûs mater, Abſocrus; & ſic deinceps, Atſocer, Atſocrus, Triſocer, Triſocrus: Item, Abvitricus, Abnoverca: Atvitricus, Atnoverca: Trivitric⁹, Trinoverca &c. rectè dici & appellari poſſint, nullus dubito. cum nulla ratio hujuſcemodi appellationes excludat.

Deſcendentes primô locô ſunt, Gener, qui eſt filiæ maritus, Eydam: Nurus, quæ eſt Filii uxor, Schnur. Itẽ, Privign⁹, ex alio conjuge genitus, ein Stieffsohn: Privigna, ex alio conjuge genita, ein Stieff Tochter. Secundô locô inter Deſcendentes ſunt, Pro-gener, qui eſt Neptis maritus: Pronurus, quæ eſt Nepotis uxor. Item, Proprivignus, Proprivigna. Tertiô, maritus Proneptis, uxor Pronepotis. Item, Abprivignus, Abprivigna. Quotquot enim hos ſequuntur, rectius communi Deſcendentium nomine circumſcribentur, quàm ut diſtinctis & peculiaribus nominibus inſigniantur.

Collaterales in dextro latere, & quidem lineæ æqualis, primô locô ſunt Levir, qui eſt frater mariti: Glos, quæ eſt ſoror mariti: uxoris frater, ſpeciale nomen non habet, c. quod autem 5. cauſa 35. q. 5. Fratria vel fratriſſa, fratris uxor. Secundô locô ejuſdem lineæ ſunt, uxor Patruelis & *A*mitini, maritus patruelis, & amitinæ. In eodem latere, ſed lineæ inæqualis ſunt vel ſuperiores, nempe uxor Patrui, & maritus Amitæ: vel inferiores, ut uxor filii fratris, & maritus filiæ fratris. Collaterales in ſiniſtro latere, & quidem lineæ æqualis, primô locô ſunt *S*ororis maritus, qui aliàs Sororius cognominari ſuevit. Item, uxoris frater & ſoror. *E*juſdem lineæ, ſed, ſecundô locô, ſunt, uxor Conſobrini, maritus *C*onſobrinæ. In eodem latere, ſed lineæ inæqualis ſunt, vel Superiores, nempe uxor Avunculi, &

 mari-

maritus Matertere; vel Inferiores, uxor filii ſororis, maritus filiæ ſororis.

Amplius, ut in Affinitate propriè nullæ lineæ, ſic multò minus ibidem dantur gradus, propriè ſic dicti. Patet hoc non tantùm autoritate Modeſtini, expreſſe dicentis: Gradus Affinitati nulli ſunt, l. 4. §. 5. ff. de Gradib. & Affin: Sed & manifeſtâ ratione. Nam, ubi gradus propriè dictus, ibi ſeries generationis, juxta vulgatam Regulam: quot ſunt generationes, tot ſunt gradus. At, inter affines nulla intercedit generatio. nam Affinis nō generat Affinem, nec ab Affine generatur. Hoc enim Conſanguineis manet proprium. Quomodò igitur ibi dabitur gradus propriè ſic dictus? Sicut autem Conſanguinitatis imago quædam elucet in Affinitate, ita, per ſimilitudinem quandam, conſtituuntur etiam inter Affines gradus, ad modum atq; formam cognationis, ſed analogicè modò ſic dicti, id eſt, qui exprimunt nudum intervallum, commonefaciens, quotô numerô Affines, vel à ſtipite, vel inter ſe diſtent.

Ipſam rem quod attinet: Quinam Affines, licitè & bona cum Conſcientia, inter ſe poſſint contrahere, vel non? tribus ſequentibus Regulis eam expeditam dabimus. Prima erit de Aſcendentibus & Deſcendentibus, in hunc modum: Quemadmodum in Conſanguinitate, inter Aſcendentes & Deſcendentes matrimonium in Infinitum eſt prohibitum: Sic in Affinitate, inter Aſcendentes & Deſcendentes Affines, perpetua militat prohibitio. Ratio Regulæ utrobique eſt eadem. Ut enim ibi Aſcendentes & Deſcendentes ſibi mutuò verè ſunt parentum & liberorum inſtar, ita & hìc analogicè. Atqui hos naturalis ratio vetat conjungi. Cui etiam reliqua Jura conſentiunt: Divinum, Lev. 18. & 20. Canonicum, ꝗ, ex ſanctione Concilii Agathenſis, hujusmodi contrahentes nullo Conjugii nomine deputandos pronunciat, cap. de Inceſtis. C. 35. q. 2. & Civile, in quo Imperator ita definit: In contrahendis matrimoniis naturale jus, & pudor inſpiciendus eſt: contra pudorem autem eſt, Filiam (& contrà) uxorem ſuam ducere, L. 14. Adoptivus. §. 2. ff. de ritu Nupt.

Secunda talis: Quemadmodum in Conſanguinitate de jure divino, quantum Collaterales concernit, prohibitus tantùm eſt primus gradus lineæ æqualis, & ſecundus lineæ inæqualis: Sic in affinitate, quoad Collaterales, ſimiliter, eodem jure, prohibitus eſt primus gradus lineæ æqualis, & ſecundus lineæ inæqualis. Fundamentum tam hujus, quàm præcedentis Regulæ locant exempla, ea de re in Scriptura propoſita. Nam omnia exempla, quæ ibi adducuntur, arguunt quidem, in Affinitate matrimonia Aſcendentium & Deſcendentium prohibita eſſe in infinitum: At, quoad Collaterales, ſe non extendunt ultra primum gradum lineæ æqualis, & ſecundum lineæ inæqualis.

Αυτοψία totum negotium elucidabit clarius: In Levitico novem perſonæ reperiuntur, quarum Affinitas improbatur, quæ omnes vel ſunt Aſcendentes, vel Deſcendentes, vel Collaterales, & hi quidem, non niſi in primo gradu lineæ æqualis, & ſecundo lineæ inæqualis. Examinabimus ſingulas: Lev. 18. ℣. 8. primô locô ponitur Noverca, quæ pertinet ad Aſcẽdentes, & matrimonium cum hac propterea interdicitur, quia Pater tuus & Noverca tua, facti ſunt una Caro, quemadmodum prius Pater tuus & Mater tua fuerant una *Caro*. perindè igitur Tibi ab ea abſtinendum fuerit, ut â propria Matre. Etiam in N. T. facinus, contra hoc interdictum commiſſum, ſevere exaggeratur & graviter vindicatur, 1. Cor. 5. ℣. 1. Secundô locô ponitur Socrus, Lev. 20. ℣. 14. quæ ſimiliter ſpectat ad Aſcendentes, & interdicitur cum ea matrimonium. quia Socrus eſt Tibi inſtar Matris, quisquis duxerit eam, pœnæ ſe ſubdet, de qua Lev. 20. ℣. 14. Deut. 27. ℣. 23. Tertiô locô ponitur Uxor Patrui, Lev. 18. ℣. 14. quæ pertinet ad *Col*laterales, & quidem ad ſecundum gradum Affinitatis in linea inæquali. Declarationem ſuppeditabit ſequens ſchema: Thare

Abraham - Nahor, Milca.

Iſaac.

Hîc Nahor eſt Iſaaci patruus, nempe frater Abrahami, iſtius Nahoris uxor eſt Milca, â qua ducenda abſtinendum fuerit Iſaaco, quippe gradu ſecundo Affinitatis lineæ inæqualis ipſi conjunctâ. Ratio interdicti eſt: quia, quemadmodum patruus in Conſanguinitate, gradu ſecundo lineæ inæqualis diſtinctus, Tibi patris locô eſt: ſic uxor ejus, quæ cum patruo tuo per conjugium una caro facta, & ideò in Affinitate gradu ſecundo lineæ inæqualis tibi juncta eſt, ſimiliter matris locô erit habenda. Inter liberos autem & parẽtes nullum ſuccedit matrimonium. Pœna in hujusmodi delinquentes conſtituta legitur, Lev. 20. ℣. 20. Quartô locô ponitur Nurus, Lev. 18. ℣. 15. quæ pertinet ad Deſcendentes, & Sôcero juncta eſt in primo gradu Affinitatis, & quaſi filia ipſius facta eſt, per & propter connubium, cum filio initum, & ideò meritò matrimonium eorum prohibitum, tam ſeverè, ut in Transgreſſores pœna mortis decernatur, Lev. 20. ℣. 12. Quintô locô ponitur Privigna, Lev. 18. ℣. 17. & pertinet ad Deſcendentes, interdiciturque matrimonium cum ea, quia Vitrico primo gradu affinitatis eſt juncta, atq; propter conjugium, cum matre initum, æſtimatur, ut filia ipſius: militatq; eadem hic ratio, quæ in aliis, in quibus Parentum & Liberorum nuptiæ penitus ſunt interdictæ. Sextô locô ponitur Filia *P*rivigni, & ſeptimo Filia Privignæ, Lev. 18. ℣. 17. quæ utrinq; pertinẽt ad Deſcẽdẽtes, interdiciturq; earũ conjugiũ, quia Vitrico ſunt loço Neptũ. Inter Avum autẽ & Neptes, ſicut inter quoſcũq; aſcendẽtes & Deſcendẽtes, omne expirat matrimoniũ. octavô

vô locô ponitur Soror Uxoris, Lev. 18. ℣. 18. & pertinet ad primum gradum lineæ collateralis æqualis, interdiciturque hoc matrimonium, quia uxorem tuam, cum qua tu, interventu matrimonii, una caro factus es, proxima conſanguinitate attingit, &, mediante Conſanguinitate, ejusdem carnis cum ea cenſetur, ex Gen. 37. ℣. 27. Jam autem nota eſt Regula: A conſanguineis proximis, tam propriis, quàm uxoris, pariter cuiq; eſt abſtinendum, Rubric. cap. Qualiter. Cauſa 35. Q. 2. Deniq; nonô locô ponitur Fratria ſive uxor fratris tui, Lev. 18. ℣. 16. & pertinet ad primum gradum Affinitatis in linea collaterali æquali, interdiciturq; hoc matrimonium, quia ſibi ſunt Fratrum & Sororum locô. Fratria enim, quæ fratri tuo nupſit, in unum corpus cum eo coaluit, ac proindè affinitate facta eſt tibi ſoror, & tu ipſi frater. Quæ hîc ex Deut. 25. ℣. 5. regeruntur, de defuncti fratris uxore ducenda, ut fratri ſemen ſuſcitetur, eorum conciliatio hauriri poterit ex CL. Gerhardo Loco de Conjugio, p. 474.

Nobis abundè ſit, quòd ex adductis hactenus exemplis pateat, æquè in Affinitate, ut in Conſanguinitate, primum ſolummodò gradum lineæ æqualis, & ſecundum lineæ inæqualis, quoad collaterales, prohiberi; quoad rectam autem lineam, in infinitum. unde firmô talô noſtra ſubſiſtet Regula: De jure divino, quoto gradu, ratione ſanguinis, inhibeatur matrimonium, toto etiam prohiberi ratione Affinitatis.

Jus Civile, ſicut antè in Conſanguinitate, ita nunc in Affinitate, cum Jure divino exactè conquadrat, nimirum quoad lineam rectam, in Infinitũ; in collateralibus, non ulterius, quàm quoad primum gradum lineæ æqualis, quoad ſecundum lineæ inæqualis: ut paulò accuratius conſideranti Legem, non facilè. 4. §. 6. & 7. ff. de gradib. & affin. evadet manifeſtiſſimum.

Juris Canonici Diſpoſitio etiam hîc in diverſum abit: Olim quidem, quando Affinitas extendebatur usq; ad ſeptimum gradum; nunc verò, dum vetus illud jus abrogatum quidem, ſed quoad collaterales, quemadmodum in Conſanguinitate, ita etiam in Affinitate, ad quartum usq; gradum limitatum eſt. Sic enim Innocentius 3. ex decreto Concilii Generalis, expreſsè determinat: Prohibitio copulæ conjugalis, quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum, de cætero non excedet, quomodo in ulterioribus gradibus jam non poteſt, absq; gravi diſpendio, hujusmodi prohibitio generaliter obſervari. cap. Non debet. 8. extr. de Conſang. & Affin.

Jus Conſuetudinarium, ſive provinciale illud ſit, ſive municipale, ut in aliis, ſic in hoc etiam genere Affinitatis, quoad gradus, variat, utplurimùm tamen cum diſpoſitione juris canonici concordat. Quod noſſe oportebit eum, cui hujusmodi caſuum deciſio demandata fuerit, ne quid in le-

ges

ges poſitivas committat, & datò ſuò reſponsò ſtatum publicum perturbet magis, quàm juvet:

*Legibus atq; locis cautus ſervire memento,*
*Nec reflare velis adverſum flamina venti!*

Interim immotis ſemper obſervetur oculis, quod etiam hic inculcant Canoniſtæ, in gradibus divinitus prohibitis, non poſſe matrimonia contrahi, etiamſi hoc habeat conſuetudo, quæ corruptela potius dicenda, quàm cõſuetudo, ex cap. quod ſuper 5. de Conſ. & Affin.

Tertia eaq; poſtrema regula eſt hæc, quod ſecundum & tertium genus Affinitatis ità comparatum ſit, ut neutrum impediat matrimonium, niſi in perſonis, Parentum aut Liberorum locô, conſtitutis.

Nam quæ hactenus dicta ſunt omnia, ad primum genus Affinitatis propriè pertinent, quale oritur ex nuptiis, vel cum meo conſanguineo, vel cum mea conſanguinea, &, mediante unica duntaxat perſonâ acceſsâ, abſolvitur. verbi cauſa: quando pater, defunctâ meâ matre, duxit aliam uxorem; hæc ducta uxor dicitur mea noverca, & juncta eſt mihi in primo genere Affinitatis. Ratio eſt, quia cum patre meo, qui inter Aſcendentes proximus meus conſanguineus eſt, contraxit nuptias, & ad unicam hanc acceſſam perſonam ſuam etiam fecit acceſſionem. Sic ſoror mea nupſit alicui Titio: Hic Titius dicitur mihi junctus eſſe in primo genere Affinitatis. Ratio eſt, quia cum ſorore mea, quæ ex conſanguineis collateralibus proxima mihi eſt, contraxit nuptias, & ad unicam hanc acceſſam perſonam, ipſe quoque, interveniente matrimonio, acceſſit.

Ut autem hoc dexterius percipiatur, ſciendum eſt, in Affinitate dari duas perſonas, quarum una nominetur acceſſa, altera accedens. Acceſſa eſt, cum qua accedens perſona confecit nuptias: Accedens verò illa, quæ cum acceſſa contractum matrimonialem pepigit. Et acceſſam iſtam quidem perſonam, quæ ſemper eſt aliqua ex Conſanguineis, ſive maſculini ſive fœminini ſexus, oportet permanere numerô unam, ſi ſalvum eſſe velit primum genus Affinitatis: Sed accedentes, quæ cenſu affinium propriè veniunt, pluribus nuptiis ſucceſſivè intercedentibus, poſſunt mutari, ut tamen nihilominus ſalvum maneat primum affinitatis genus. e. g. eſt meus frater, eſt ejus uxor: Ille, eſt perſona acceſſa, quia ad eum acceſſit uxor per contractum matrimonium, atq; hoc modo perſona accedens facta eſt, eademque mihi juncta primo affinitatis genere, manetq;, quamdiu frater meus cum ea vivus in conjugio manet. Quid verò, ſi uxor iſta moriatur & frater meus ſecundam ducat uxorem, num & ſecunda hæc uxor primo affinitatis genere mihi fuerit propinqua? Reſpondeo, omninò. quia accedentes perſonæ ſolummodò mutatæ ſunt, duæ nempe uxores fratris mei, in acceſſa verò perſona

ſona, h. e. in fratre, nulla deprehenſa eſt mutatio: & quamdiu frater ille meus non moritur, tamdiu omnes ejus uxores, licet ſex ſeptem earum ſucceſſivè ducat, ob unitatem acceſſæ hujus perſonæ, quâ inter vivos ſuperat, ſo lang Er auf der welt aufhält und verweibt iſt/ conjunctæ mihi erunt in primo affinitatis genere. Ratio eſt perſpicua: quia cæteræ uxores, ſupervenientæ novo matrimonio, ſemper una caro factæ ſunt cum fratre meo, adeoq; per legem Moſis, earum nuptiæ mihi interdictæ in perpetuum, Lev. 18 ℣. 16. Et hæc de primo Genere.

Præter hoc primum Genus autem dantur adhuc alia duo Affinitatis Genera, quorum primum oritur ex nuptiis mei affinis, & duabus perſonis mediantibus contrahitur. e. c. ſit Sara, Abraham, Nahor, Milca: de Milca oritur quæſtio, quoto affinitatis genere juncta ſit Saræ? & reſpondetur, nō primô, ſed ſecundô genere. qui ſic? quia Milca nupſit Nahor, qui erat affinis Saræ, & idcireò Milca non una, ſed duabus perſonis mediantibus, videlicet Nahore & Abrahamo, Saræ affinis facta eſt. id q; ſecundi Generis Affinitatis propriū. Sit alterum exemplū defunctæ meæ ſororis maritꝰ, qui ad ſecunda vota perrexit: quæritur, quoto genere affinitatis iſthæc uxor mihi ſit juncta? reſpondetur, ſecundo genere. quia oriatur ex novis nuptiis cum meo affine, & mediantibus duabus perſonis, nempe defuncta mea ſorore & ſuperſtite marito, ſit contracta.

Alterum genus quod reſtat, & aliàs tertium dicitur, oritur ex novis nuptiis ſecundi affinis, & mediantibꝰ tribꝰ perſonis perficitur. v. g. Uxor defūcti mariti meæ quondā ſororis, nupſit alteri marito, quæritur de hoc, cui denuò nupſit, quoto nam genere affinitatis iſte mihi ſit junctus? & reſpondetur, tertiô, quare? quia iſta Affinitas, tribꝰ mediantibꝰ perſonis, 1. meâ ſorore, quæ prima erat uxor, 2. defunctô ejus maritô. 3. relicta hujꝰ mariti Viduâ, ſecundâ nimirū mea affine, fuerit contracta. Georgiꝰ Schulkens in Expoſit. Arboris Conſ. & Affin. p. 115. tale adducit exemplū: Si fratris mei vidua, Annâ, quæ mihi in primo affinitatis genere juncta eſt, mortuâ, ſecundus ipſiꝰ maritus, Titius, qui mihi in ſecundo affinitatis genere conjunctus eſt, ducit Catharinam, ea Catharina, utpote quæ eſt tertia perſona, & cum qua tertia fit copula, mihi tertio affinitatis genere jungitur.

Poſtrema hæc duo Affinitatis genera, impropriè hoc nomine veniunt, nec Affinitatis definitio illis ritè poteſt applicari, utpotè quæ eſt, quando ad alterius Cognationis fines fit acceſſio. Atqui in duobus his Generibus nō fit acceſſio ad Cognationis, ſed tantùm ad Affinitatis fines. Ergo neq; Affinitates prohiberi, neq; matrimonium impedire poterunt. Niſi (uti in hac tertia Regula additum fuit) alicubi parentum & liberorū obviet Relatio, quēadmodū exemplū hujus rei in mediū produxit Imperator, L. uxorē 15. ff. de

Ritu

Ritu Nupt. de privigni uxore & vitrico quos negavit jungi poſſe, licet ſecundo tantummodo affinitatis genere ſint propinqui. Nam reſpectum Parentum & Liberorum obtinent, quem in omni conſociatione ſive Conſanguinitatis, ſive Affinitatis prætergredi, nefas habetur, L. non facilè 4. §. hos itaq; 7. ff. de Gradib. & Affin.

Atq; hæc ſunt, quæ cum Deo faciente, de duobus iſtis caſibus proponere animus fuit, quibus ſi morem geſſerimus, intra metas nos continuerimus, neq; prohibitos cancellos perruperimus, non modò illibatam conſcientiam retinebimus, & pœnas, transgreſſoribus poſitas, declinabimus: ſed benedictionem divinam impetrabimus, matrimonium jucundum, fortunatum & fœcundum obtinebimus, ac deniq; vitam ſucceſſionibus immortalem nobis reconciliabimus. Quæ omnia promiſit præcepta ſua connubialia ſervantibus Deus, benedictus in ſecula, Amen!

## *VII.*

## Utrùm inter Cognatos ſpirituales, bonâ cum Conſcientiâ, poſſit contrahi matrimonium?

Pontificii, non contenti iis Cognationis generibus, quæ Natura ſuppeditavit, & Scriptura determinavit, novum finxerunt genus, quod Cognationem Spiritualem indigitârunt, naturæ & Scripturæ incognitam, dixeruntq; eam potiſſimùm oriri ex Sacramento Baptiſmi inter eos, quibus in hoc actu officium Chriſtianæ charitatis præſtitum eſt, & qui illud præſtiterunt. Indè ſtatuerunt, Spiritualis hujus Cognationis tres quaſi ſpecies: Compaternitatem, Paternitatem & Fraternitatem. Compaternitatem, quæ attendatur inter ſuſceptorem ex Baptiſmo, parentesq; baptizati: Paternitatem, quæ cõtrahatur inter baptizantẽ & baptizatũ, inter ſuſceptorem & ſuſceptum: Fraternitatẽ, quæ fiat inter filios filiasve ſuſceptoris, & inter ipſum baptizatum. Sic enim Concilium Tridentinum, Seſſ. 24. cap. 2. de Reform. matr. Unus tantùm, ſive Vir ſive mulier, juxta ſacrorũ canonũ inſtituta, vel ad ſummum, unus & una baptizatũ de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quos ac baptizatũ ipsũ, & illius patrem ac matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem tantùm ſpiritualis cognatio contrahatur.

De his omnibus pronunciant, quòd legitimum matrimonium inter eos contrahi non poſſit. Sic enim Catechiſmus Tridentinus, cap. de Baptiſmo: Sanctiſſimè â ſancta Eccleſia conſtitutum eſt, ut non ſolùm is, qui baptizat, cum baptizato, ſed etiam ſuſceptor cum eo, qui ſuſcipit, & cum ejus veris parentibus, affinitate devinciatur, itâ, ut legitima nuptiarum fœdera inter hos iniri non poſſint, atq; inita dirimantur.

Videntur hîc quidem, tam ipſum Conciliũ Tridentinũ, quàm Catechiſm⁹

indè

indè collectus, prohibitioni certos præfigere limites, quòd ea ultra compaternitatem non ſit extendenda; at verò jus Canonicum ipſam quoq; fraternitatem includit. Audiatur ſaltem capitulum 3. causâ 30. q. 3. ubi Zacharias Pontifex Rom., Theodorum, Epiſcopum Eccleſiæ Ticinenſis, ſuper hoc caſu conſulentem: utrùm filius carnalis alicujus poſſit copulari filiæ ſpirituali ejusdem? ſic informat: Pitacium, quod nobis tua veneranda fraternitas obtulit, ſuſcepimus, per quod ſciſcitari voluiſti, ſi liceat filio, cujus pater alterius filiam ex ſacro baptiſmate ſuſceperit, ſuſceptam, id eſt, ſpiritualem ejus patris filiam (quod dici crudele eſt) matrimoniô ſuſcipere? quod apud te enormiter aſſeruiſti contigiſſe. Sed bene tua ſancta fraternitas compertum habet, quòd Dominus præcepit Moſi dicens: turpitudinem patris tui vel matris vel ſororis non revelabis. turpitudo enim tua eſt. Cum ergò â propria conſanguinitate jubemur abſtinere, multò magis â ſpirituali noſtri Patris filia (omni excuſatione aut argumento ſepoſito) ſub nimia diſtrictione nos cavere convenit, ne in iram divinæ examinationis incidat, ſi quis tali facinore mixtus minimè reſtrinxerit frena luxuriæ: unde etiam omnes cavendi ſunt â tali ſceleris commixtione, ne in perpetuum pereant. Sed hunc, qui autor hujus pernitioſæ temeritatis, animæ ſuæ ſalutem deſpiciens, impio ſe miſcuit matrimonio, per omnia tua fraternitas ſtudeat ſeparare, & pœnitentiæ dignè ſubmittere, quatenus ab æterna erutam damnatione animam ejus lucreris. Quid hîc clarius, quam ne quidem Suſceptorum liberos, ob contractam ſpiritualem fraternitatem, cum Compatrum liberis matrimoniô poſſe jungi?

Sed quæ cauſa tam ſeveri interdicti, & totius prohibitionis non jungendorum ſpiritualium Cognatorum? Bellarminus l. 1. de Matrim. cap. 30. probaturus, cognationem ſpiritualem meritò ab Eccleſia inter impedimenta matrimonii referri, non adducit, nec adducere poteſt, vel Scripturæ dicta, vel Patrum ſuffragia, vel ſolidas rationes: ſed, neſcio, quam cauſam rationabilem, quâ in eo putat conſiſtere, quia unus ab altero recipiat eſſe ſpirituale, & ideò debeat illi peculiarem reverentiam. Siccine verò hæc cauſa ſatis probabilis videtur, quòd, qui ab altero recipiat eſſe ſpirituale, & peculiari reverentia ei ſit obſtrictus, cum eodem matrimoniô jungi nequeat? tunc certè nullus Paſtor, cum auditorum ſuorum aliqua poterit copulari, quia ſpirituale eſſe omnibus ſuppeditat, imò eos in Domino generat, 1. Corinth. 4. ℣. 15. & meritò reverentia viciſſim ab illis ei exhibetur, 1. Timoth. 5. ℣. 17. at hoc contra Paulum dicentem: Annon habemus poteſtatem, ſororem uxorem circumducendi? 1. Cor. 9. ℣. 5. aut, quod minus tædioſum Pontificiis, conjugium Clericorum deteſtantibus, nullus Præceptor, qui puellas ſuas Catechiſmum edocet, ſucceſſu temporis aliquâ ex iis

ducere

ducere poterit. quia & hæ ſpirituale eſſe recipiunt, & ad reverentiam, Præceptori præſtandam, peculiariter ſunt obligatæ. *Et* quid fiet de ſuſcipientibus & ſuſceptorum parentibus, ac cæteris eorum liberis? ſaltem hi ab illo impedimento erunt eximendi? quippe inter quos nulla ſpiritualis eſſe receptio deprehenditur: verùm & hoc è diametro pugnat cum Conſtitutione Zachariæ Pontificis, paulo ante â nobis allegata!

Hoc videntes Cordatiores alii, tam Theologi, quàm Politici, & animô ſuô multum volventes, hoc nimirum pacto, entia præter neceſſitatem multiplicari: matrimonio, quod eſt ordinatio divina, ſuis jam antè certis & definitis Conſanguinitatis & Affinitatis cancellis â DEO incluſa, compedes injici, &, noviter excogitatô cognationis vinculô, amplius adhuc homines implicari & arctari: primæ Inſtitutioni baptiſmalium ἀναδόχων, quæ non erat, ut aliqua cognatio ſpiritualis hinc oriretur: ſed ut Patrini teſtarentur, baptizatum Chriſto & Eccleſiæ per baptiſmum fuiſſe inſertum; & ſimul ſponderent, ſe pro virili enixuros, ut baptizatus deinceps, etiam in pietate educaretur, & in vero Chriſtianiſmo conſtanter ſervaretur, vim inferri: Officium charitatis inter chriſtianos in laqueum, detrimentum & impedimentum converti: Naturæ & Politiæ ſtatum per Evangelium infringi: Eccleſiam humanis conſtitutionibus ſubindè onerari: Infideles â ſuſcipiendo Chriſtianiſmo abſterreri, imò nomen Domini apud Exteros blaſphemari, quòd, propter intervenientem diſpenſationem hujusmodi Traditionum, Divitibus fiat licitum, quod pauperibus gratis ſit prohibitū &c. pio Zelo acti ſunt, ut ſpirituali iſti Cognationi ſe opponerent, nec, pro legitimo Matrimonii impedimento, eam agnoſcerent.

Sic enim B. Lutherus: Die dritte urſach die Ehe zuwehren und zureiſſen/ iſt die Geiſtliche Freündſchafft/nemlich wenn Jch ein Magt auß der Tauff hebe/ ſo kan Jch oder mein Sohn/weder Sie noch Jhre Mutter/noch Jhre Schweſter zur Ehe nehmen/ Es ſey denn gar ein Redlich und Weidlich Geld da. Das iſt doch ein lauter Narrenwerck und Alfentzen/nur umb Gelds willen/ unnd die Gewiſſen zu verwirren/ertichtet. & poſt pauca: Darumb laß das Narrenwerck fahren/ und ſo du wilt/ ſo nimb/ Gott geb es ſey Gevatter/Patte/oder Gevattern Tochter/ Schweſter oder wie Sie ſind/ und halte dieſe ertichte/Geltſüchtige urſach für nichts/ Tom.2. Jen. Germ. vom Ehelichen Leben/fol. 149.a.

Dn. Philippus: Prohibitiones de cognatione ſpirituali prorſus rejiciendæ ſunt, qualis eſt, ne quis ducat eam, cujus baptiſmo affuit, T. 1. Oper. de Conjugio, f. 339. b. Dn. Chemnitius: Quòd cognatio ſpiritualis dirimat matrimonium vel contrahendum, vel jam contractum, & Scripturæ & veræ antiquitati prorſus ignotum eſt: aliàs enim inter Chriſtianos nullum poſſet conſtare matrimonium, omnes enim ſumus fratres & ſorores in Chriſto,

ſto, part. 2. Exam. Concil. Trident. de Matrim. pag. 427. D. Joh. [illegible]ſtius: ultimò poteſt hîc quæri: an prohibeantur ſponſalia & matrimonia [illegible] ſpiritualem cognationem, Ob die Gevatterſchafft die Ehe mög verhindern [illegible] oder nicht? De qua re extat apud Hermenopulum l. 4. tit. 5. conſtitutio, [illegible] per talem cognationem prohibeantur ſponſalia & matrimonia & [illegible] ſtitutio nullibi in ſacra Scriptura fundata eſt, ideò in Eccleſiis bene conſtitutis ea hodiè ō obſervatur, parte 2. de Matrim. c. 51. p. 209. S[illegible]: In Eccleſiis noſtris hujuſmodi prohibitiones, de cognatione ſpirituali, [illegible] attenduntur, tract. de Nupt. p. 3. rubr. de Nuptiis illic. n. 14. §. Ter[illegible].

Sed & inter ipſos Pontificios reperiuntur, qui iſtā cognationē ſpiritualē ō uſquequaq; approbant. Sic enim Lorichius Theologus: [illegible] ritualis vanū eſt cōmentū, inſtit. Catech. p. 80. a. & Conradus Lagus JC. Pontificius, in Methodo Juris aſſerere non veretur, prohibitionem matrimonii in cognatione ſpirituali ſine cauſa factam eſſe ab Eccleſia, e[illegible] valere ſua autoritate, quantum poſſit. Tertius eſt Daniel Venatorius itidem JC. Pontif. qui analyſi juris Canonici, l. 4. tit. 11. poſt enumeratos effectus ſpiritualis cognationis ſubjungit: Hi tamē effectus tunc demum locum ſibi vendicant, cum conſuetudo, absq; Eccleſiæ ſcandalo, in contrarium non ſit obſervata. Ubi enim loci conſuetudo fuerit, ut nuptiæ, inter ſpirituali cognatione ſibi devinctos, in Eccleſia permittantur, matrimoniū legitimè contractum, ob hoc temerè non erit turbandum vel reſcindendum.

Ego, ſine aliorum præjudicio, de præſente Caſu ſic me explico. I. Ex officio iſto charitatis, circa Baptiſmi ſolemnia hinc indè præſtito, non oriri veram cognationem, ſed tantummodò metaphoricam, id eſt, talem, quæ non dependeat à natura, quæ veræ & genuinæ cognationis principium eſt internum & adæquatum, unde porrò fluit reverentia ſanguinis; quæ, pro re nata, impedimento eſſe poteſt matrimonio: Sed quæ originem ſuam traxerit ex quodam ritu eccleſiaſtico, ab Higino demum circiter annū 140. vel ut alij volunt, 154. introductô, ſecundum Platinam in vita Higini: Ergo eam non poſſe etiā dici Cognationē. quia quælibet res denominationem ſortitur ex eo, quod revera eſt, non quod per ſimilitudinem quandam apparet, aut eſſe videtur. II. Iſtam cognationem, quomodocunq; etiam ſic dictam, naturâ ſuâ non eſſe ſic comparatam, ut matrimonium vel contrahendum impediat, vel contractum dirimat, alioqui nullibi locorum, per contrariam conſuetudinem, poſſet mutari, cum naturalia ſint invariabilia: At experientia aliud evincit, vigere alicubi contrariam conſuetudinem, ſalvô interim manente matrimoniô tàm contractô, quàm contrahendo. Fieri tamen III. poſſe, ut ob inter[illegible] aliam cauſam, ejuſcemodi matrimonium meritò ſuſpendatur

& in-

& intermittatur, quaſi impræſentiarum eſt autoritas ſummi Principis in Imperio, qui in L. ſi quis. 26. C. de Nup. exertè definit: Ea perſona omnimodò ad nuptias venire prohibenda, quam aliquis, ſive alumna ſit, ſive non, à ſacroſancto ſuſcepit Baptiſmate. jam verò conſtans eſt *Doctorum* ſententia, hanc, & alias leges imperatorias, alicubi ſervari ſuetas, &, quoad citra animæ diſpendium fieri poſſit, inter ejusdem imperii conſortes cuſtodiri oportere. *Ergò*, vel ob ejus honorem fas fuerit, ad minimum ſuſceptorem abſtinere à nuptiis puellæ, quam de ſacro fonte levavit.

Siſto autem hujus meæ ſententiæ approbatores, duo magnorum ICtorum lumina, Dn. Franc. Pfeils, quondam Reip. Magdeburgenſis Syndicum, & Dn. Conradum Mauſerum, in Univerſitate Witebergenſi olim LL. Profeſſorem. Quorum iſte Cent 1. Conſ. 5. ſic ſcribit: Rectè ne, an ſecus ſpirituales (ut vocant) Pater & Filia matrimonium contrahant, Juſtiniani Principis in L. ſi quis alumnam. C. de Nupt. aperta ſententia eſt, eam perſonam omnimodo, ad nuptias ejus venire, prohibendam eſſe, qui eam à ſacroſancto baptiſmate ſuſceperit. Cum affectionem paternam, & juſtam nuptiarum prohibitionem nihil aliud ſic inducere poſſit, quam hujusmodi nexus, per quem, Deo mediante, animæ eorum copulatæ ſunt &c. Hic verò in explicatione tit. de Nuptiis, § ergò non omnes. p. 353. ita diſſerit: Addite, quòd etiam pari ratione pater ſpiritualis non poteſt ducere filiam ſpiritualem, ſcilicet, quam de ſacro fonte ſuſceperit. Ita eſt textus Juris civilis, in L. ſi quis alumnam, in fin. C. de nupt. Propter eandem publicam honeſtatem, licet reliqua, quæ circa cognationem ſpiritualem adducunt Canones, videantur mihi parum rationis habere.

Quòd ſi quis verò, extra Imperii terminos, ſit conſtitutus, quousque Legum Imperialium vis atq; autoritas ſe non extendit, per text. in §. 1 Inſt. de Jur. nat. gent. & civil. & in L. Omnes. 9. ff. de Juſt. & Jur. Vel intra Imperium, in iis tamen locis, quibus, ex ſpeciali Imperatoris indultu, eoque vel tacito, vel expreſſo, epiſcopalia vel territorialia jura tributa, & ſic unà poteſtas juris ſive ſtatuti condendi eſt conceſſa, & velit adornare nuptias cum perſona, ſpirituali cognatione ſibi junctâ, is noverit, ſe poſſe, illæsâ conſcientiâ, pro ordinatione Regionis ſuæ, hoc ſuum propoſitum in effectum deducere, non remorante ulla cognatione ſpirituali, modò, Dei ſtatutis intentus, illos fines, qui, de vera Conſanguinitate & Affinitate, ab ipſo poſiti & determinati ſunt, non tranſilierit.

## I I X.

# Utrùm Matres, bonâ cum Conſcientiâ, liberis, ex ſe prognatis, proprium lactatum denegare, & aliis lactandos tradere poſſint?

Mos ſatis barbaricus apud nonnullas Matres invaluit, ut Infantes, recens à ſe editos, non proprio lacte alant, ſed aliis lactandos delegent, idque licitè, citra omnem noxam, ſe præſtare exiſtiment, motæ forſitan illo vel Nobilitatis, vel Generationis prætextu: quòd iſta oneri, ne dicam, dedecori ſibi ducat, lactare infantem; hæc, citius ad conceptionem ſe perventuram, ſperet, ſi illo lactandi munere commodè carere valeat.

Utraq; autem Exceptio ſatis infirma eſt, imò ficulnea. Nobilitas quippe non parit inæqualitatem in iis, quæ ad jus naturale pertinent, ait JC L. 32. de R. J. Atqui Nutricatiò pertinet ad jus naturale. nam Natura quæ nihil facit fruſtrà, cuilibet animanti, ſi pariat, lac ſubminiſtravit, unde recens natis alimentum præbeat, inquit Plutarch. de Educ. liber. non procul à principio. Ergò ab hoc munere, etiam nobiles Matronæ, non poterunt eſſe exemtæ, in primis cum Natura omnibus ſit communis, L. hos accuſare. 12. §. ult. de Accuſat. In altera, dum deſiderium novæ prolis prætendunt, quid aliud, niſi pruritum ſuum, produnt, ideò ſcilicet hoc abs ſe intermitti, ut tantò citius novâ venere ſe implicare, incontinentiam quodammodò ſatiare, maturiusq; libidinem ſuam explere poſſint?

Non equidem inficior, dari unum atq; alterum Caſum, quo Matres à lactandis infantibus excuſentur, ut ſi I. non ſint lactariæ, id eſt, aut nullum lac habeant, nec ad generationem lactis ullo modo ſint comparatæ: aut habeant quidem lac, ſed vel noxium, morboq; corruptum; vel ſanum quidem, at propter exilitatem papillarum, mammarumq; ſuppreſſionem, infantili gutturi infundendo, non ſatis aptum. Tunc utiq; præſtat, nutricem adhibere, quàm præſentiſſimo mortis periculo prolem exponere, ſeipſum autem pœnæ Legis Pompeiæ, de parricidiis, obnoxium reddere. Verè enim necare præſumitur, qui alimonia denegaverit, ait Paulus L. necare. 4 ff. de agnoſc. & alend. Liberis. Vel II. ſi ad eam paupertatem ſint redactæ, ut lactandæ ſoboli vacare non poſſint. Tunc enim Pater talem matrem vel ipſe alere tenebitur, ut lactandæ ſoboli probè poſſit vacare, vel ſoboli aliam conſtituere nutricem, quæ iſtum defectum ſuppleat, ne caro de carne ſua ſiti extinguatur & pereat. Nemo enim unquam carnem ſuam odiſſe præſumitur, ſed enutrire & fovere eam, inquit D. Paulus Eph. 5. ℣ 29. Et ita in

praxi

praxi obſervari teſtatur Alvarus Valaſcus, in deciſionibus Conſultationum & rerum judicatarum conſult. 92. n. 4.

In deligenda autem Nutrice ſumma cautio fuerit adhibenda, ne eligatur, quæ habeat hæreditariam aliquam ſanguinis maculam, puta, luis venereæ, elephantiaſis, ſtrumarum & ſimilium contagioſorum habituum. Careat item omni affectu morboſô, aut quomodocunq; vitioſô, utpote balbutie, ſtraboſitate, tineâ, ſcabie &c. præterea non ſit ebrioſa, melancholica, petulca & libidinoſa. Ut enim taliter affecta lac nativum facilè corrumpit, ſic hujusmodi vitia alumno ſuo, unà cum lacte, haud difficulter communicat: Sed quæ ſit boni habitus & temperamenti, nigricantis potius coloris, quàm admodùm albi, lati pectoris & ſcapularum, mammarum mediocrium & benè conformatarum, cum elegantibus papillis: adhæc ætatis vegetæ, à 20. ad 25 annum: non primipara aut abortiens frequenter: ſed quæ feliciter & pepererit, & fœtus proprios educârit: cujus lac neq; nimis recens, neq; nimis ſit inveteratum. Et denique, quæ ſit bene morata, ſobria, his laboribus aſſueta, & in tractandis infantibus perita. A talibus enim generoſiores validioresq; Viros, Reip. miniſtrandæ, bellisque gerendis idoneos, quàm â propriis Matribus ſæpè educatos fuiſſe, variæ hiſtoriæ teſtatum faciunt. Quemadmodum has Nutricis qualitates requirit & præſcribit Medicus celebratiſſimus, Joh. Varandæus l.3. de Affectibus Mulierum, c.3. p. 382.

Cæterùm, in quibus Matribus prænominati caſus, aut ejus generis ſimiles, non occurrunt, eas, bonâ cum conſcientiâ, Liberis à ſe prognatis ubera denegare, atq; aliis hoc nutricandi munus demandare poſſe, confidenter negamus, moti ſequentibus rationibus:

I. Quia ſic Naturæ vis infertur. Rectè enim olim dictavit Cl. Ungebauerus in tr. de jure Naturæ & ejus gradibus, cap. 9: Contra ſecundum Juris Naturæ gradum faciunt Parentes, non ſolùm cùm liberis ſuis penitus denegant alimenta: verùm etiam quando eos aliis mulieribus nutriendos & lactandos tradunt. Natura enim vult, ut ipſa Mater liberos, quos peperit, ſuo lacte alat, non alieno. Hinc Philo de Opific. Mundi: Natura ſcaturientes mammas addidit, præparans alimenta naſcituris infantibus. Cui genuinum illud Favorini, apud Gellium, matri lactationem filiæ deprecanti, ne ad dolores, quos in enitendo tuliſſet, munus quoq; nutricationis grave ac difficile accederet, hunc in modum reſpondentis: Oro te, mulier, ſine eam totam integrê eſſe matrê filii ſui. quod eſt enim hoc, CONTRA NATURAM, imperfectum atq; dimidiatum matris genus, peperiſſe ac ſtatim ab ſeſe abjeciſſe? aluiſſe in utero ſanguine ſuo, neſcio quid, quod non videret; non alere, nunc ſuo lacte, quod videat, jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem? an tu quoq; putas, Naturam fœminis mammarum

 rum

rumubera, quaſi quoſdam nævulos venuſtiores, non liberorum alendorum, ſed ornandi pectoris causâ dediſſe? l. 12. c. 1. p. 277. quin ipſe Ariſtoteles concludit, φύσεως ἔργον εἶναι, τροφὴν τῷ γεννηθέντι παρέχειν, Naturæ opus eſſe, genito præbere alimentum, *Pol.* l. 1. c. 10.

II. Quia ſanitati infantum male conſulitur. Dum enim tam ſubitò, à conſueto & in utero materno uſurpato alimento, ad aliud revocantur, cui aſſueſcere eos demùm oporteat, non poteſt tam repentina mutatio & alieni lactis aſſuefactio infantibus non eſſe noxia. Iterum huc referendus Favorinus, apud Gellium d. l. ſic pergens: Nonne hac quoq; in re obvia naturæ evidens eſt, quod, poſtquam ſanguis ille opifex in penetralibus ſuis omne corpus hominis finxit,, adventante jam partus tempore, in ſupernas ſe partes profert, ad fovenda vitæ atq; lucis rudimenta præſtò eſt, & recens natis notum & familiarem victum offert? Ergò vix quicquam erit pernicioſius, quàm ſi parvuli alieno lacte nutriantur, & ignotô calore imbuantur. Quod agnoſcens Plinius Senior, ſcribere non veretur, lac maternum cuiq; utiliſſimum: Nutricum autem eſſe exitioſum, l. 28. N H. cap. 9. in fine.

III. Quia mutuus amor inter Matres & liberos imminuitur, imò penè extinguitur. Quemadmodum enim συντροφία mutuum auget benevolentiam, quod in feris licet cernere, quæ ſe invicem deſiderant, ſi educatæ ſimul diſtrahantur. Hinc Xenophon l. 2. de Inſtit. Cyri monet, milites ſimul ali debere, ut eò minus in conflictibus alter alterum deſereret. videri enim & feras, quæ ſimul nutriantur, vehemens habere deſiderium, ſi quis eas divellat â ſe invicem: ita vinculum & coagulum mutui amoris interſcinditur, & quaſi diluitur, ſi infans â maternis uberibus abripiatur, & ad nutricem amandetur. Vigor enim maternæ flagrantiæ paulatim refrigeſcit, & ſenſim, quaſi morte ſit amiſſus infans, oblivioni traditur & extinguitur. Infans etiam matris, quæ genuit, neq; ſenſum illum, neq; deſiderium capit; contra amorem nutricis, quem cum lacte imbibit, cōcipit & nutrit. exemplo eſt Jupiter, qui Amaltheam, Hermonii Ætolorum Regis filiam, nutricem ſuam, tanta remuneratione dignatus eſt, ut eam inter ſidera collocaverit, eiq; hanc facultatem contulerit, ut quicquid ab ea optaretur, ſive potus id eſſet, ſive cibus, continuò naſceretur, ut ait Xanthus in rebus Ætolis. Similiter Nero, *Eclogen* & Alexandriam nutrices, ardentiore amore complexus eſt, quàm propriam matrem Agrippinam. nam illas ſuperſtites reliquit, Sueton. in Nerone, c. 50. hanc verò e medio ſuſtulit, ib. c. 34. Uſq; adeò affectio animi in eo occupatur, unde infans primitus alitur!

IV. Quia caſtitas Matrum periclitatur. *Cujus* experiundæ gratia, veteres Scoti non accerſebant lactandis infantibus nutrices, ſed ſuo ipſæ ſucco Matres prolē ſuam educabant, probri locô ducentes, nec adulterii ſuſpi-

cione

cioſe c[illegible] [illegible], & quæ [illegible], ad [illegible]
haud ſufficeret. Hac enim ratione legimus nos liberos probari [illegible], ſi quam uterò fovillent, eoſdem in [illegible] caros enutrire non recuſarent matres, matrisq; munus ſolæ implētes, nullam liberorum partem nutricibus cederent, ut refert H. Boethius in ſua Scotia.

V. Quia exindè bonæ naturæ ſæpè labefactantur & depravantur. Quæ enim præ reliquis cauſa eſt, quòd ſæpenumerò optimorum parentum liberi nec corporis nec animi dotibus, progenitoribus ſui reſpondeant? Hæc nimirum, quòd bonitas, ingenitis primordiis inchoata, inſitivo degenerique alimentò lactis alieni, debilitatur, corrumpitur ac retundatur. Non minus enim valet, ad inducendas animi corporisq; ſimilitudines, primævum alimentum, quàm ipſa genitivi ſeminis vis atq; poteſtas. Id quod ſummis exemplis poſſet demōſtrari, ſufficiant impreſentiarum ſequentia, eaque pauca: Nota eſt hiſtoria de duobus pueris, ex agreſtibus & pauperculis Parentibus progenitis, quorum unus caprino, alter porcino lacte enutriebatur. Hi poſtquam adoleverunt, ille quidem â dumetis frondoſisq; jugis mutuum, ſed hic â lutoſis paludibus avelli non poterat. Habis, R. Hiſpaniarum, in Infantia uberibus cervæ lactatus eſt, unde converſatione nutricis eximia puero pernicitas fuit; interque cervorum greges diu montes ſaltusque, haud inferior velocitate, peragravit, ſcribit Juſtinus l. 44. c. 4. De Romulo & Remo pleni ſunt Romanorum ſcriptorum libri, quod Lupa ſuis uberibus eos aluerit: unde tanta illis innata rapacitas, ut in tota vita deſiſtere ab ea non potuerint. Apud Virgilium Dido Æneæ ſævitiem exprobratura, ait, tigres hyrcanas illi ubera admoviſſe, 4. Æneid. ✠. 367. Super quæ verba ità Scaliger: Neq; enim ſatis eſt, bonis prognatum eſſe, ſed primis alimentis augeri, aut immutari infantum naturam, conſtat, l. 5. Poëtices, c. 3. p. 588. Dan. Sennertus ex Prævotio refert, quòd ille Auditoribus ſuis Patavii recenſuerit, de quodam Viro quinquagenario Genevenſi, vitiō Ruminationis ab ineunte ætate usq; ad id tempus correptō, qui aliam rationem reddere nequiverit, niſi quod ipſe adhuc infans, matre mortuâ, per biennium lac ex ubere vaccæ calidum hauſerit, l. 3. Medicinæ Practicæ, part. 1. ſect. 2. c. 8. Sed quid multis? non in hominibus id ſolùm, ſed & in pecudibus obtinet. Paſcantur ovium lacte hædi, & caprarum agni, eventus docebit, in his lanam gigni duriorem, in illis capillum teneriorem!

VI. Quia â conſuetudine Veterum cum Romanorū, tum Germanorū receditur. Apud Romanos n. ſuus cuiq; filius, ex caſta parente natus, ō in cella emtę nutricis, ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cujus pręcipua laus erat, tueri domū, & inſervire liberis, Tacitus in Dialogo, qui ipſi vulgò inſcribitur, de Orator. c. 28. Similiter ap. Germanos ſua quęq; mater uberibus alebat, neq; ancil-

ancillis ac nutricibus delegabantur, Tac. de Morib. Germ. c. 20. cum quo concordat illud Celtis, l. 2. Amorum, elegiâ IX.

*Lactanti nemo nutrici nomina novit,*
*Quæ prolem cogit degenerare ſatam!*

Ut igitur dignos nos præſtemus Majoribus noſtris, Autores & Conſolatores erimus Matribus, ut habitâ ratione Conſcientiæ, & aliarum incommoditatum inde ſuppullulantium, pravam conſuetudinem, in quorundam Conjugatorum mores irrepentem, quâ liberos, quos gignunt, nutrire contemnunt: eosq;, absq; urgente neceſſitate, aliis mulieribus ad nutriendum tradunt, abominentur, & quæq; fœtum, a ſe editum, uberibus applicent, proprio lacte imbuant, & in temperamento atq; avitis morbis quam ſimillimum ſibi efficiant. Quæ ſecus faxit, ſive nobilis illa ſit, ſive plebeia, iſtud â de Guevara ſibi dictum putet: Quæcunq; mulier, tali tempore, ſobolem ſuam deſerit, non Mater miſericors, ſed noverca & hoſtis crudelis dicenda eſt, ex lib. 2, Horolog. c. XXIII. p. 315.

## I X.

## Utrùm fas ſit, Maritos cum gravidis ſuis Uxoribus ante depoſitum partum amplius conſueſcere?

Sunt, qui in negantem abeant ſententiam.

Quia taliter facientes, I. delinquant in tertium gradum juris naturalis.

II. Cauſentur ex hac ἀταξίᾳ ſæpiuſculè abortus.

III. Incontinentiâ ſuâ ſuperent cætera animalia, quæ, poſt conceptionem, cum comparibus ſuis non amplius commiſcentur.

IV. Recedant â conſuetudine priſcorum, non modò Chriſtianorum, ſed & Judæorum, imò ipſorum etiam Ethnicorum.

De antiquis noſtris Chriſtianis audiatur Hieronymus, qui lib. 1. contra Jovinianum ſic ſcribit: In aliena uxore omnis amor turpis eſt, in ſua nimius. Sapiens Vir judiciò amare debet conjugem, non affectu. rege impetus voluptatis, nec præceps feraris in coitum. nihil eſt fœdius, quàm uxorem amare, quaſi adulteram. Certe qui dicunt, ſe causâ Reip. & Generis humani uxoribus jungi, & Filios procreare, imitentur ſaltem pecudes, & poſtquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios: nec amatores ſe Uxoribus exhibeant, ſed maritos. Item Origenes, hom. 5. ſuper 19. Gen. Sunt quædam, quæ, ſicut animalia, absq; ulla diſcretione indeſinenter libidini ſer-

ſerviunt :quas ego nec mutis pecoribus comparaverim. Pecora enim cum conceperint, ultrà non indulgent maribus copiam ſui. jungemus his adhuc duos, unum Epiſcopum, alterum Presbyterum. Epiſcopus eſt D. Ambroſius: Is l. 1. comment. ſuper Luc. 1. ſic inquit: Quid mirum de hominibus, ſi pecudes quoq; muto quodam opere loquuntur, generandi ſibi ſtudium, non deſiderium eſſe coeundi? ſiquidem ubi ſemel ſenſerint, genitali alvo ſemen receptum, nec jam concubitu indulgent, nec laſciviam amantis, ſed curam parentis aſſumunt. At verò homines nec conceptis ipſis, nec Deo parcunt: illos contaminant, hunc exaſperant. Presbyter eſt *C.* Cælius Sedulius, qui in cap. V. ad *Ephe*ſ: ſuper iſta verba: Viri diligite uxores veſtras &c. ità commentatur: Sanctus amor hic intelligendus, ut voluptates reſecentur, ut prægnantes ad partum usq; non coëant.

Judæos quod attinet, nota eſt ſecta Eſſenorum, qui mores legesq; cum exquiſitiſſimis habebant: Horum nemo cum prægnante concumbebat, ut oſtenderent, quòd nuptias non voluptatis, ſed liberorum causâ iniviſſent, quemadmodum Scriptor Judæorum, Joſephus, de illis commemorat, l. b. 2 Belli Jud. c. 7.

*E* medio Gentiliſmo prodeat *D*eianira, Herculis uxor, quæ apud Sophoclem, in prologo Trachiniarum, ſignificat, Patres, cum filios procreâſſent, imitari genus quoddam Agricolarum, quos compertum ſit, cum fundum valdè remotum & longinquum araverint, ſtatim, illô ſatô, domum reverti, nec eò antè redire, quàm tempus meſſis faciendæ venerit. *E*t Zenobia, Odenati Principis Palmyrenorum uxor fortiſſima & prudentiſſima, de qua ita Trebellius Pollio, in Triginta Tyrannis, T. 2. Hiſtor. Rom. p. 384. Zenobiæ ea caſtitas fuiſſe dicitur, ut ne Virum quidem ſuum ſciret, niſi tentatis conceptionibus. nam cum ſemel concubuiſſet, expectatis menſtruis continebat ſe, ſi prægnans eſſet: ſin minus, iterum poteſtatem quærendis liberis dabat. O dignam matronam! exclamat Ludov. Vives l. 2. de Chriſt. Fœm. p. 398. quæ, vel ſine concubitu pareret, quem tantùm in pariendi uſum petebat: vel, ſine dolore, quæ implebatur ſine voluptate! Imò, quod omittendum non eſt, in hiſtoria Indorum Occidentalium l. 2. c. 11. & l. 3. c. 18. legitur, apud quosdam ejus Gentis homines, quâdam naturæ lege, obſervatum fuiſſe, ut Viri ab uxoribus gravidis abſtinerent.

Hæc cum ita ſe habeant, præſtabit geſtationis tempore congreſſus matrimoniales refrænare, quàm vel exigere debitum, vel etiam reddere, ne *C*hriſtianiſmum videamur proſtituere iis, qui foris ſunt, imò ipſis Judæis ac Gentibus deteriores exiſtentes, illos aliquando in judices hujus noſtræ enormitatis concitare.

Verum enimverò periculoſum eſt, in hoc Caſu certi quid determinare.

Si enim negativæ ſubſcripſeris, condemnabis omnes, qui poſt imprægnationem iterùm concubuerunt: at quem tandem audiviſti, inter familiaria colloquia, ſive eorum, qui conjugati ſunt, ſive, qui fuerunt, indicantem tibi, nunquam ſe conjugi eſſe commixtum, niſi ſperando conceptum? quæri nus ex Auguſtino l. de Bono conjugali, c. 13. Sin affirmativæ, continentibus non ſolùm dicam impinges: ſed & te ſuſpectum reddes, quòd & ipſe plus æquô libidini indulgeas, & aliis, ad libidinem pronis, frigidam ſuffundas, atq; ſic malo alimoniam ſuperaddas, quâ magis magisq; augeſcat ac exardeſcat.

Forſitan conſultiſſimum fuerit, prudentiam Apoſtolicam imitari: D. Paulus cum Conjuges admonuiſſet, ut conjugale debitum mutuò traderent, nec ſe invicem defraudarent, niſi cum conſenſu utriusq; ad tempus, vacandi jejunii & precum gratiâ, poſtmodum verò rurſus convenirent, ne Satanæ tentationibus expoſiti deficerent, 1. Cor. 7. ℣. 5. ſubjungit e veſtigiò, ℣ 6. Hoc autem dico ex conceſſione, non ex præcepto, id eſt, non injungo vobis cum quodam imperio, ut peractô jejuniô & precibus, ſtatim neceſſariô rurſus congrediamini: ſed liberum vobis facio, & quaſi in veſtra poteſtate conſtituo, ut diſpiciatis, quid valeant humeri, quid ferre recuſent; quamdiu continere invicem velitis, & quousque, ſalvô pactô conjugali mutuô, contra Satanæ inſultus id præſtare poſſitis. Hoc ipſum enim ſibi vult phraſis: λέγω κατὰ συγγνώμην, 'ȣ κατ' ἐπιταγήν. Eodem fermè modo Conjugibus, poſt factam conceptionem, non tam imperabimus, quid præciſè eos facere oporteat: ſed eorum arbitrio deferemus, quid, ſalvô jure matrimonii; quid, ratione habitâ tam ſuæ ſanitatis, quàm fœtus incolumitatis; quid, citra periculum Carnis & Satanæ, ſuſtinere ſe poſſe exiſtiment. Si, omnibus his integris, continere velint & poſſint, id laudi illis fore: ſin cohabitare, nec tum ſe peccare, & ne venialiter quidé.

Venialiter dico, propter Auguſtinum & alios, qui putârunt, actum iſtum conjugalem, ſive concubitum, eſſe peccatum veniale, excuſabile tamen per matrimonium, in quo, ſine peccato mortali, poſſit fieri. Sic enim expreſsè Auguſtinus: Sunt viri usq; adeò incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant. Quicquid ergò inter ſe conjugati immodeſtum, inverecundum, ſordidúmve gerunt, vitium eſt hominum, non culpa nuptiarum. Jam in ipſa quoq; immoderatiore actione debiti carnalis, quam eis, non ſecundum imperium præcipit, ſed ſecundum veniam, concedit Apoſtolus, ut etiam, præter cauſam procreandi, ſibi miſceantur: & ſi eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, Nuptiæ tamen ab adulterio ſeu fornicatione defendunt. Neq; enim illud propter nuptias admittitur, ſed propter nuptias ignoſcitur, l. de Bono conjug. c. 6. Verùm oritur hic ſenſus

ſus ex phraſi Apoſtolica, κατὰ συγγνώμην λέγω, minus dextrè intellecta: Non enim is eſt, quem Auguſtinus intendit, quaſi dicat Apoſtolus: non impero, ut faciatis; ignoſco, ſi feceritis, tanquam minus malum, cum facili ſpe veniæ permiſſibile; ſed hic: non præceptô aliquô vos obſtringo, ut calidi adhuc à jejunio & precibus in mutuos amplexus ruatis: ſed veſtro arbitrio relinquo, eligendi à vobis, quicquid modeſtiæ veſtræ Chriſtianæ conſultiſſimum videbitur. Συγγνώμη ergò, h. l. non ſignificat veniam ſive indulgentiam rei, quoque modo illicitæ: ſed arbitrariam permiſſionem rei, in ſe quidem licitæ, verùm ad utendum, vel non utendum liberæ.

Concubitum autem iſtum in ſe non eſſe illicitum, ex ſequentibus patebit:

I. Quia etiam tendit in finem, ad quem matrimonium inſtitutum eſt. Nam triplex eſt finis matrimonii. 1. eſt generis humani propagatio. 2. mutuum adjutorium. 3. infirmitatis remedium, quò divina Sapientia proſpexit, ne innatus æſtus extra oleas vagaretur, ſed intra honeſtatis gyros contineretur, & licitô conjugii refrigeriô mitigaretur. Et ad hunc finem pertinet concubitus, de quo nobis ſermo eſt. Argumentum erit tale: Uti Matrimoniô ad eum finem, ad quem inſtitutum eſt, non eſt peccatum. Atqui finis ejus etiam eſt, ut ſit remedium infirmitatis, quô maritus, pro re nata, ſibi conſulat, utendo propriâ uxore, ne in fornicationes, aut alias pollutiones incidat, 1. Cor. 7. ℣. 2. Igitur ad hunc finem uti eo licebit.

II. Quia Apoſtolus, dum 1. Cor. 7. de ſuſpendendo concubitu agit, nullum alium caſum excipit, niſi qui remoratur jejunium & preces, nec alibi etiam in Scriptura reperitur, quòd imprægnatio ſubſecuturis compreſſionibus fuerit impedimento; quin prohibet idem Apoſtolus, comparem in cæteris ſuo debito fraudare: cum ſcilicet juſtitiæ ſit adverſum, alteri non tribuere, quod ei debeatur. Hinc iterum argumentum: Actus, quo alteri, quod ſuum eſt, redditur, eſt licitus, & non peccatum. At concubitus, præter caſus, in Scriptura interdictos, eſt actus, quo alteri, quod ſuum eſt, redditur. Er. eſt licitus, & non peccatum.

III. Quia Prov. 5. ℣. 19. præcipitur: lætare cum muliere adoleſcentiæ duæ, & in amore ejus delecteris omni tempore. Item Deut. 24. ℣. 5. conceditur novello marito immunitas, & vacatio à militia per annum integrum, quò lætetur cum uxore ſua, non attentâ imprægnatione, ſive illa facta fuerit, ſive non. Hinc denuò argumentum: Si Scriptura, etiam delectationis gratiâ, liberaliorem uſum in matrimonio concedit, itâ, ut ne quidem factâ imprægnationem excipiat, tunc nec nos excipere debemus, ne

 ſapi-

ſapientiores nobis eſſe videamur ipſo Spiritu S. At verum eſt prius, ex allegatis locis. Ergò & poſterius.

IV. Quia ſuperfœtatio poteſt contingere, ut iteratis congreſſibus plures fœtus concipiantur, in utero perficiantur, &, ſuo tempore, ſucceſſivè in lucem edantur: quæ etiam cauſa eſt, ut cætera animalia, quorum natura ſuperfœtare recuſat, ubi gravida fuerint reddita, fugiant mares, non item mulieres, teſte Ariſtotele 7. de Hiſt. Animal. c. 4. & *Dn.* Sennerto, qui ſuperfœtantium multa exempla adducit, & ejus rei cauſas, ſigna & differentias indicat, l. 4. Medic. pract. parte 2. ſect. 4. cap. 6. p. 113. *Ergò* facta imprægnatio non prohibebit Conjuges, ulterius cohabitare, præſertim ſi πολυπαι-γίας ſint percupidi.

V. Quia Ariſtoteles, ad facilitandum partum, non inconſultum eſſe arbitratur, ſi, paulò ante appropinquans puerperium, frequentetur concubitus, locô ſuperius allegatô expreſsè ſic ſcribens: αἱ γὰρ πλησιάζουσαι πρὸ τ̃ τόκων τοῖς ἀνδράσι, θᾶττον τίκτουσι, i. e. quæ enim paulò ante partū concumbunt, facilius pariunt; haudquaquam id facturus, ſi concubitum poſt imprægnationem, judicâſſet abnormem, & legi naturæ contrarium.

Accedit VI. conſenſus Lactantii, & B. noſtri Lutheri, quorum iſte l. 6. div. Inſtit. c. 23. p. 514. ſic ſcribit: Deus, cum cæteras animantes, ſuſceptô fœtu, maribus repugnare voluiſſet, ſolam omnium mulierem patientem Viri fecit, ſcilicet, ne Fæminis repugnantibus, libido cogeret viros aliud appetere, eoq; facto caſtitatis gloriam non tenerent. Hic v. T. 2. Germ. Jen. vom Ehel. leben parte 3. f. 152. b. Jch will ſchweigen und ligen laſſen die Eheliche Pflicht/ wie die zu reichen und zuwegern ſey/ als etliche Säwprediger in dieſem Stuck unverſchämbt gnug ſind/ die unluſt zu rüren. Etliche aber ſetzen auch ſondere zeit darzu/ und nehmen die H. Nächte und ſchwangere leib auß. Jch laß bleiben/ do es S. *Paulus* 1. Cor. 7. gelaſſen hat/ do Er ſpricht: Es iſt beſſer freyen/ denn brennen. Jtem: Ein jeder habe ſein Weib/ und ein jedliche ihren Man/ zumeyden Hurerey. Wiewol nu Chriſtliche Eheleüt ihren Leib nicht ſollen laſſen regieren in der Seüch böſer Luſt/ wie Paulus den Theſſalonichern ſchreibt/ ſo muß doch ein jedlicher ſich ſelbſt prüffen/ daß er nicht ſich in fahr der Hurerey und andern Sündn gebe/ mit ſeinem Enthalten/ und nicht anſehen heylig/ oder werckel Tag/ oder ander leibliche Vrſachen.

Quibus ſic ſtantibus, non videmus, quomodò concubitus, poſt imprægnationem â Conjugib. iteratus, in cenſum peccatorum rapi, aut legibus atq; conſuetudini contrarius poſſit ſtatui. Nam lex & natura eò reſpiciunt, ſi metus ſubſit, ne conceptus fœtus periculum capiat & abortiat: cui tamen facto, tanquam rariſſimè contingenti, nulla certa pœna præſtituta eſt, nec præſtitui oportuit, arg. l. 3. cum tribus ſeqq. ff. de LL. Quòd ſi verò contingat,

tingat, partum propter hujuſmodi compreſſionem abigi, cohabitantes inter innocentes non ponantur, ſed extra ordinem puniantur, ſic decernente Mario Salomonio, ad l. 1. §. 3. de Juſt. & Jur. ex arg. l. 1. & tot. tit. ff. de extraord. criminib. Conſuetudo autē ſolūmodò eſt particularis, vel unius duntaxat gentis, vel peculiaris alicujus ſectæ, vel individui cujusdam ſuperemi-nentis, non autem vel omnium, vel maximę hominum partis conſenſu ac exemplo comprobata, & ea propter etiam ad omnes obligandos minus idonea.

Suffecerit autem ad delenda ea omnia, quæ in principio pro contraria ſententia adducta fuerant, unica ſpongia, quam ſuppeditat Petrus de Tharantaſia, ſuper 4. ſent. ſequentibus verbis: Si eſſe poteſt ſine periculo abortûs, reddi poteſt debitum conjugale, & etiam ſine peccato exigi. quia uſus matrimonii non eſt tantùm in officium, ſed etiam in remedium: Si verò periculum eſſet in puero exiſtente in utero, non debet exigi, neq; reddi. Quia matrimonium principaliùs eſt inſtitutum in officium, quàm in remediū &c.

## X.

## Utrùm quis, defendendæ ſuæ pudicitiæ gratiâ, aggreſſorem, bonâ cum Conſcientiâ, poſſit occidere?

Nunquam autor ſum, ut, ad effundendum ſanguinem humanum, quis facilis ſit atq; propenſus, etiam tum, cum ſupplicii irrogandi juſta cauſa ſubeſt. nam ſalus hominis nullô beneficiô penſatur. adimi quidem vita haud difficulter poteſt: at reſtitui, ne ſi velis quidem. Legimus, Imperatorem Cajum quosdam juſſiſſe interfici, quos poſtea vehementer deſideraverit. Et de Nicolao quinto P. M. refert Pontanus, cum Angelus Ronconius, Tribunus militum, apud eum accuſaretur, quòd Averſo fugienti atq; undiq; clauſo, iter liberum per Tyberim permiſiſſet, ipſum in cubiculo jacentem juſſiſſe veſperi, lege in illum agi: manè verò ubi experrectus fuiſſet, dixiſſe iis, qui aderant, velle ſe Angeli cauſam maturius cognoſcere, cui cum reſponderetur, fuiſſe jam in illum intempeſtâ nocte ſecuri animadverſum, incredibili dolore eſſe permotum, l. 4. de Obed. c. 15. p. 38. Revocabat forſitan ſibi in memoriam illud Ammiani Marcellini, ex l. 29. miſerum eſt inſtrumentum ſenectuti, recordatio crudelitatis! Ideoq; de vita & ſpiritu hominis, qui pars Mundi eſt, & animantium numerum complet, laturum ſententiam, diu multùmq; cunctari oportet, nec præcipiti ſtudiô, ubi irrevocabile

factum eſt, agitari: Interim dum delictum ita eſt comparatum, ut nulla aliâ ratione, niſi hominis morte poſſit expiari, negotiumq; diu ac multum deliberatum, delicto proportionatum ſupplicium adjudicatum, inter pœnam & culpam æqualitas obſervata, & omnia cauſarum examina, citra errorem, fideliter penſata, permittendum tandem eſt, vel ingratiis noſtris, ut juſtitia adminiſtretur, & reo promerita mortis pœna infligatur. Simili modo, ſi vel hominis vita vel caſtitas periclitetur, omnia prius tentanda ſuadeo, quàm ad extrema contendatur, & invaſori vita, quæ non poteſt, niſi cum animæ diſpendio tum eſſe conjuncta, eripiatur: At ſi inevitabilis neceſſitas urgeat, & nec vitæ, nec pudicitiæ periculum amplius poſſit averti, niſi cum morte aggreſſoris, illam, rebus ita efflagitantibus, bonâ cum conſcientiâ intentari poſſe, nolens volens concedere cogor, adactus ſequentibus rationibus:

I. Quia pudicitia non Gentilibus modò, ſed & Chriſtianis tantæ fuit curæ, ut eam vitæ ſuæ poſtpoſuerint, ſuffragantibus etiam & id approbantibus magnis Eccleſiæ luminibus. Hieronymus expreſsè ſcribit in c. 1. Jonæ ſuper hæc verba: mittite me in Mare &c. Non eſt noſtrum, mortem arripere, ſed illatam ab aliis libenter excipere: unde & in perſecutionibus, non licet propriâ perire manu, absq; eo, ubi caſtitas periclitatur: ſed percutienti colla ſubmittere. Similiter Ambroſius l. 3. de Virginibus, ad Marcellinam ſororem ſuam, ſic perſcribit: Jam ad finem Orationis vela pandenti benè ſuggeris, ſoror ſancta, quid ſuper eorum meritis exiſtimandum ſit, qui ſe præcipitavêre ex alto, vel in fluvium demerſerunt, ne in perſecutorũ inciderent manus, cum Scriptura divina vim ſibi Chriſtianum prohibeat inferre. Et quidem de Virginibus, in neceſſitate cuſtodiæ conſtitutis, enodem habemus aſſertionem, cum martyrii extet exemplum &c. & ſubjungit hiſtoriam S. *Pelagiæ*, quam mutuabimur ex D. Chryſoſtomi, T. 1. edit. *Ducæi*, ubi eloquentiſſimus *Pater*, in laudatione S. Pelagiæ ſic fatur: Pelagia virgo quindecim annos nata, ſponte ſibi necem maturavit. Parata quidem erat ad cruciatus tormentaq;, & omne ſuppliciorum genus perferendum: ſed metuebat tamen, ne virginitatis coronam perderet. Hinc autem diſcas, impiorum intemperantiam, Pelagiæ virgini timorem attuliſſe, quòd ab intemperata illorum hominum injuria, virgo ſe ſubmovit, ac præripuit. Nam ſi licuiſſet, & virginitatem ad finem usq; ſervare, & martyrii coronam percipere, ad judicium ire non recuſaſſet: quomodo verò neceſſe omninò erat, ab alterutro excidere, idoneam cauſam habuit, ob quam tali jacturæ voluntariâ morte præverteret. Hæc adeò certa ſunt, ut ne ab ipſo quidem Ducæo negari poſſint, quin fateri neceſſe

habeat

habeat, docuiſſe olim Patres multos, Hieronymum, Ambroſium & alios, licere ſeipſum in mortis diſcrimen præcipitem agere, pudicitiæ tuendæ causâ. Nunc tamē hæc admiratione potius, quàm imitatione eſſe digna &c. Annot. in 1. Tom. Chryſ. n. 628. Imitatæ tamen ſunt hoc factum Virgines & Uxores Livonienſes, cum Moſcovitæ in Livoniam irruptionem feciſſent, civitatem Wendenam expugnâſſent, & in utrumque ſexum cædibus, libidine & aliis atrocibus modis ſæviiſſent. Hanc immanem crudelitatem cum ii, qui in arcis munitum locum confugerant, conſpicati eſſent, deſperabundi cum uxoribus & liberis, pulvere tormentariô incensô ſeſe interemerunt, ne in tam truculentos hoſtes, cum præſentaneo diſcrimine honoris & pudoris, inciderent: ſicut Laurentius Mullerus in Hiſtor. Septentr. latè hæc deſcribit, ubi addit: Hoc factum non ſolùm vicinis Livonibus, ſed etiam Moſco ipſi deplorandum & mirandum fuiſſe. Et licet Theologi Rigenſes, contra iſtas Virgines & Fœminas, qui ſibi ipſis manus in hac extrema neceſſitate, metu hoſtis atrociſſimi, intulerant, in Concionibus declamarent, earumq; factum condemnarent: tamen unusquiſq; judex eſſe poterit, utrùm rectius fecerint, dum ſpontaneâ morte honorem & pudicitiam ſuam, deſperato omni auxilio & ope, conſervare, quàm crudelitati immitiſſimi hoſtis eā proſtituere maluerunt, ex Camerario Cent. 3. hor. ſubciſ. c. 78. p. 294. Ex his omnibus facilè conjicere licet, quòd ſi quis propriam vitam, ſalvâ Conſcientiâ, profundere auſit, modò ſuam pudicitiam ſervet illibatam, cur non potius auſit alienā? cum ordinaria charitas incipiat â ſeipſa; & quilibet decem alios malit perire, quàm propriam ſuam vitam perdere, quippe cujus jactura irrecuperabilis. Hinc apud Jobum legitur: pellem pro pelle, & omnia, quæ habet homo, dabit pro vita ſua. c. 2. 4.

II. Si vitæ conſervandæ gratiâ aggreſſor poteſt occidi, multò magis occidi poterit, qui pudicitiam vitentaverit. Ratio eſt manifeſta in lege civili, 8. §. quod ſi. 2. ff. quod metus causâ, ubi dicit Imperator, Viris bonis iſtum metum (amittendæ ſcilicet pudicitiæ.) majorem eſſe debere, quàm ipſius mortis. At verum eſt prius, Er. & poſterius. Antecedentis veritas elucet ex quinto præcepto, Non occides; quod non tantum præcipit, ne alios occidas, ſed etiam, ut teipſum defendas, nec ab altero occidi ſinas. niſi enim te defendas, efficis, ut dicta iſta lex in tua perſona violetur. vide Chemnit. in L. C. tit. de Lege Dei, explicat. V. Præcepti. E nota ſunt verba Ciceronis, licet Ethnici & lumine duntaxat naturæ, non gratiæ, inſtructi, quæ leguntur T. 2. in Orat. pro Milone, p. 767. Si tempus eſt ullum, jure hominis necandi, quæ multa ſunt, certè illud eſt non modò juſtū, verùm etiam neceſſarium, cum vi vis illata defenditur. Nec Lutherus ab hac veritate recedit, ſed graviter eam tuetur atque defendit, ita ſcribens:

Extra

Extra cauſam Confeſſionis ( quâ mortem non inferre, ſed ab aliis illatam patienter excipere oportet Chriſtianũ ) Chriſtianus eſt civis hujus Mundi, debens facere & ferre, quæ ſunt ſuæ Civitatis, juxta tabulam ſecundam. Si nunc latro aut fur, tibi vim inferre, vel furari volet, eò, quòd tu Chriſtianus es, hîc reſiſtendum eſt malo, ſi vis pius civis eſſe hujus Mundi. Quia ſicut Magiſtratus ipſe reſiſtit, cujus membrum es, ità præcipit tibi reſiſtere, virtute ſecundæ tabulæ, cui teneris obedire. Ita ſi latro, in itinere, te occidere volet, propter Chriſtum, debes te defendere, etiamſi occidendus ſit ille. Quia ſcis, Magiſtratum præcepiſſe, latronibus reſiſtendum, & ſuos cives defendendos eſſe, hoc ipsô obedis tam primæ, quàm ſecundæ tabulæ. Nec curandum, ſi Chriſtum. i. e. tabulam primam prætendat: cum certum ſit, quòd non propter Chriſtum, ſed propter rem tuam te occidere quærat, T. 1. Jen. Lat, in Diſp. de illo Chriſti dicto: Vade, vende omnia, Th. 10. ſeq. p. 524.

III. Injuriæ atroces, & in re irreparabili illatæ, quovis modo poſſunt repelli. At inſidiæ, attemptandæ pudicitiæ causâ ſusceptæ, ſunt tales. Er. Majorem confirmat L. 3. ff. de I. & I. quæ ſancit, ut vim atq; injuriam propulſemus. nam jure hoc evenire, ut, quòd quisq; ob tutelam ſui corporis fecerit, jure feciſſe exiſtimetur.. Et cum inter nos cognationem quandam Natura conſtituerit, conſequens eſſe, hominem homini inſidiari nefas eſſe.. Minor etiam eſt liquidi juris, ex l. 1 injuria. §. omnemq;. 2. ff. de injuriis. præſertim notatu digna ſunt verba §. 4. l. 9. eod. tit. quæ ſic ſe habent: ſi quis tàm fæminam, quàm maſculum, ſive ingenuos, ſive libertinos, impudicos facere attemptavit, injuriarum tenebitur: Sed & ſi ſervi pudicitia attemptata ſit, injuriarum locum habet. Quin pudicitia expugnata, tàm irreparabile damnum æſtimatur, ut Juſtinianus diſertè de eo pronunciet, virginitatem vel caſtitatem corruptam reſtitui non poſſe, L. unicâ. non longè à princ. C. de Rapt. Virg. ubi ſtatim addit: Ne igitur ſine vindicta talis creſcat inſania, ſancimus per hanc generalem Conſtitutionem, ut hi, qui hujusmodi crimen commiſerint, & qui eis auxilium, invaſionis tempore, præbuerint; ubi inventi fuerint in ipſa rapina, & adhuc flagranti crimine comprehenſi, & â parentibus virginum, vel ingenuarum, vel viduarum, vel quarumlibet fœminarum, aut earum conſanguineis, aut â tutoribus, vel curatoribus, vel patronis, vel dominis convicti, interficiantur. Imò S. Hieronymus eò dilabitur, ut audenter aſſerat, Deum, cum omnia poſſit, ſuſcitare tamen virginem poſt ruinam non poſſe, Epiſtola ad Euſtoch. & allegatur in Can. Si Paulus. C. 32. q. 2. quod verum eſt, ſi de ſtatu dignitatis illi ſermo ſit, qui in eo conſiſtit, ut nunquam ſit corrupta. Facere autem ut corrupta non ſit corrupta, Deus non poteſt. quia hoc implicat contradictionem, quod â natura & potentia Dei eſt alienum, ſimul factum eſſe, & non factum eſſe.

quisquis.

quisquis ita dicit, inquit S. Aug. cont. Fauſt: Si Deus omnipotens eſt, faciat, ut quæ facta ſunt, facta non fuerint, non videt, hoc ſe dicere: ſi Deus omnipotens eſt, faciat, ut ea, quæ vera ſunt, eô ipsô, quo vera ſunt, falſa ſint: Falſum verò, ſi Hieronymus loquatur de ſtatu integritatis, qui conſiſtit in remotione corruptionis, quâ pars læſa reſtauratur, & ex muliere Virgo, q. nunquam deflorata, ſalvis clauſtris reſtituitur. Hoc enim non implicat, quin vetulæ non paucæ reperiuntur, quæ talem artem calleant, quâ ex virginibus mulieres, & iterum ex mulieribus virgines efficiant, ne futuri mariti periculum ſubodorentur, ac damnum virginitatis ſentiant, licet fictè id præſtent, & tantùm ad videri faciant, Caſp. Barth. Animad. ad Pornobodiſc. p. 339. cur non facilius Deus verè? apud quem non impoſſibile omne verbum, Luc. I. 37.

IV. Idem confirmant Reſcripta Principum, & Scita Sapientum. Expertè enim D. Hadrianus reſcripſiſſe legitur, eum, qui ſtuprum ſibi vel ſuis per vim inferentem occiderit, dimittendum eſſe, L. 1. §. 4. Item divus. ff. ad L. Corn. de Sicar. Similiter Paulus JC. l. 5. Recept. Sent. tit. ad L. Corn. de Sicar. & Venef. 23. §. qui latronem &c. ita ſcribit: Qui latronem, cædem inferentem, vel alium quemlibet, ſtuprum inferentem, occiderit, puniri non placuit. E Sapientibus unus prodeat Plato, qui nobis cum Cicerone in Bruto. c. 51. erit inſtar omnium: Is vero Lib. IX. de LL. hanc legem promulgat: Qui mulierem liberam aut puerum, ad rem venéream vi adigit, impunè non ab eo ſolùm, cui vis illata eſt: ſed â Patre, Marito, Fratribus, Filiisq; Vitâ privetur. Atqui hæc omnia fruſtrà lata ac dicta fuiſſent, ſi invaſorem pudicitiæ, bonâ cum conſcientiâ, non liceret interficere.

Accedit deniq; factum heroicum, cujus Idem Cicero recordatur in Orat. pro Milone, ſequentibus verbis: Pudicitiam cum eriperet militi (quẽ Val. Max. l. 6. c. 1. n. 12. Caium Plotium; Plutarchus verò in Mario, Trebonium appellat.) Tribunus militaris in exercitu Caji Marii, propinquus ejus Imperatoris (id eſt, filius ſororis Caji Marii, Cajus Luſcius à Valerio dictus) interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat. Facere enim probus Adoleſcens periculosè (impendebat enim periculum, ut ab Imperatore damnaretur, quòd ejus propinquum, quòd indemnatum, quòd Tribunum ſuum miles necâſſet.) quàm perpeti turpiter maluit. Atq; hunc ille vir ſummus ſcelere ſolutum, periculô liberavit. Inſidiatori verò & latroni quæ poteſt afferri injuſta lex? T. 2. p. 767. addit autem Plutarchus, T. 1. p. 413. Marium miratum id factum, & comprobâſſe, coronamq;, quæ conferri virtutis cauſâ ſolebat, adferri juſſiſſe, eâq; Trebonium donâſſe, quod pulcherrimum actum, articulô, quô maximè foret bonis exemplis opus, edidiſſet. Cui meritò accenſemus, ſecioris ſexus, ſed illuſtrioris familiæ, perſonam, Timo-

cleam, quæ Thraciæ turmæ Ducem, cognomento Alexandrum, in puteum deſcendentem, & projecta utenſilia cum auro & mundo muliebri quæritantem, ob ereptam pudicitiam lapidibus obtudit & occidit: cumq; eo nomine delata eſſet & ad Alexandrum M. deducta eſſet, ab eodem non tantùm abſoluta, ſed etiam dimiſſa eſt cum omnibus, qui eam cognatione attingere inventi ſunt, ex Plutarch. T. 2. de Virtutibus Mulierum, p. 260.

Quibus ita ſe habentibus, concludimus præſentem Caſum (non attendentes, quid dictis obtendat Auguſtinus T. 1. l. 1. de L. Arb. c. 5. & *Reinh.* Bachovius vol. 1. in Treutl. Diſp. 1. Lit. C. p. 15. ibi: etiam pudicitia &c. quippe jam antè in hoc puncto ſatis confutati ab Auguſto Fiſchero in tract. de duello improviſo, art. 2. memb. 4 Lit. L.) hominem pudicum, cujuscunq; ſit ſexus, conditionis aut ætatis, ſi tentatis rebus omnibus, quibus injuria repelli poſſit, illatam tamen vim aliter deflectere nequeat, niſi aggreſſorem occidendo, atq; ſic pudorem illibatum ſervando, bonâ cum conſcientiâ tam paratum eſſe poſſe, occidere propter pudicitiam, quàm pro ea vitam profundere, laudemq; fortiſſimi pudoris ſecum ferre perpetuam.

## Nunquam fac repetas: nullâ reparabilis arte
## Læſa pudicitia eſt, deperit illa ſemel!

### EMENDANDA.

P. 2. l. 18. pro omni, lege objecti. p. 12. l. 16. pro Quin, Quia. p. 106. l. 27. Eraſm⁹ demonſtrat. p. 223. l. 29. addenda vox, ſeipſum. p. 234. l. 10. decori Chriſtus. p. 235. l. 15. pro Quartum, lege Quintum. p. 249. l. 10. Niceph. L. 3. c. 37. p. 305. l. 3. addenda: renaſci: neq; regeneratio in eum dici poteſt, p. 415. l. 34. incertitudine. p. 426. l. 26. qui, pro quæ. p. 442. l. 1. 2. quieſcendum. p. 445. l. 18. pro aut, autem. p. 487. l. 35. eſſe p. 500. l. 35. pro rerum, verum. p. 512. l. 8. initiantur. p. 516. l. 8. approbavitne. p. 540. l. 6. peccatore. p. 551. l. 4. meditantur l. 15. deleatur & l. 20. ſupplicia l. 36. actu L. p. 566. l. 21. dederit. p. 600. l. 23. addenda vox: primo genere. p. 655. l. penult. corrupta ſit. p. 667. l. 1. pro qualitas, quantus.

P. 675. poſt lineam ſecundam inſerenda ſunt ſequentia:

4. Arma corporalia Chriſtianis penitus detrahuntur, & ſaltem ſpiritualia conceduntur, 2. Cor. 11. ℣. 4. Qui textus generalis eſt, & non Miniſtros ſolùm Verbi complectitur: ſed & ſingulos atq; univerſos Chriſtianos, ne quidem Magiſtratu excepto. ubi enim Lex non diſtinguit, ibi nec nos diſtinguere debemus.

5. Deniq;

813.

5 Denīq;. quia in Reos hac de cauſa potiſſimùm animadvertitur; ut vel corrigantur & coërceantur ipſi, vel gravitate pœnarum â ſimili delicto abſterreantur alii: Sed quomodo vel corrigentur vel coërcebuntur ipſi, ſi, quod de vita erat reſiduum, confeſtim è manibus præripitur? Quomodo exemplô eorum movebuntur alii, ſi cernunt, ſupplicium in punctiſtitio peragi? jocabuntur potius, & in affanias iſtas erumpent: Es iſt umb ein böſe viertelſtund zuthun! Exquiſitior itaq; foret & utilior tam pro ſe, quàm pro aliis puniendi ſontes ratio, ſi mulctâ pecuniariâ, fuſtigatione, carcere, exiliô aut aliâ publicâ ignominiâ afficerentur, quàm ut necarentur, & vitâ privarentur. Ut taceam, vitam ærumnoſam ipſâ morte eſſe pejorem, & ob id aliis ad mala patranda tantò etiam formidabiliorem, ut ſolerter caveant, ne per ſimilia delicta, aſperam quoq; hujusmodi pœnam ſuis humeris accerſant.

p. 607. l. ult. 1. Cor. 3. p. 690. lin. pen. eſſe poſſit. p. 696. l. 3.
Comparium, ſed monitoris. l. 35. parcat. p. 707.
Morlæ. p. 746. l. 19. pro 2. Tim. 5.
lege 1. Tim. 6, 14.

(o)



*COnſcia mens ut cuiq; ſua eſt, ita corde ſub imo*
*Concipit ex factis ſpemq; metumq; ſuis.*
*Nam velut iſtud habet vitiũ inter cætera damni,*
*Ut mens aſſiduô palpitet ægra metu:*
*Sic ſibi nullius virtus malè conſcia culpæ,*
*Per mala cuncta animos ad meliora levat.*
*Caſibus id variis probat, exemplisq;* GEORGUS
KÖNIGIUS, *ſacri gloria prima Chori.*
*Quæ ſi nôſſe cupis, librum hunc evolve ſubinde,*
*Qui pretiô ſuperat fulva metalla ſuô.*
*Hinc pete virtutes, moderatô pectore dignas,*
*Et ſpera in dubiis, & pete rebus opem.*
*Quamvis cuncta DEUS poſſit; tamen, arma piorũ,*
*Invictas neſcit ſuſtinuiſſe preces.*
*Deniq;, quicquid agis, prudenter reſpice finem,*
*Sic vitiis vacuum corq; animumq; geres,*
*Et, veluti vulgo jactata parœmia dicit,*
*Omnia tunc bona ſunt, clauſula quando bona eſt.*

*Debitæ obſervantiæ teſtandæ*
*ergò F.*

M. Jacobus Tydæus, Humanitatis P. P.

# PRIMUS INDEX

## CASUUM CATECHETICORUM, EX DECALOGO.


I.

UTrùm Chriſtianus capitibus Catecheticis, bonâ cum Conſcientiâ poſſit obligari? 18.

II. Qua ratione, bonâ cum conſcientiâ, ad tot diverſarum Religionum concordiam tandem poſſit perveniri? 21.

III. Quotuplici idololatria commaculetur recta conſcientia? 30.

IV. Quæ opera in die ſabbathico, per conſcientiam, fieri vel non fieri oporteat? 36.

V. Quousq; parentibus & Magiſtratibus, bonâ cum conſcientiâ, præſtari poſſit Obedientia? 42.

VI. An quis ſibi ipſi, bonâ cum Conſcientiâ, poſſit inferre manus violentas? 45.

VII. Utrùm quis, bona cum Conſcientia, virginitatem conjugio præferre poſſit? 56.

VIII. Utrùm uſuræ inter Chriſtianos, bona cum Conſcientia, exerceri poſſint? 63.

IX. Utrùm quis, bona cum Conſcientia, poſſit ferre teſtimonium de his, quæ ſibi, ſub fide ſilentii, ſunt commiſſa? 75.

X. Utrùm Concupiſcentia in renatis reliqua, bona cum Conſcientia, haberi poſſit pro peccato, nec ne? 82.

XI. Utrùm diſtinctio Lutheranorum, quâ IX. & X. in duo peculiaria præcepta diſpeſcunt, bonâ cum conſcientiâ, poſſit retineri? 95.


Kkkkk 3 CA.

# PRIMUS INDEX
# CASUUM CATECHETICORUM
## EX
## SYMBOLO APOSTOLICO:

I. *Quatenus autoritate Symboli Apoſtolici, bona cum conſcientia, ſtandum ſit?* 104.

II. *Annon Calviniani à nobis, bonâ cum Conſcientiâ, inſimulari poſſint temeritatis, eò, quòd contra manifeſtam Scripturæ literam alicubi coarctent objecta potentiæ divinæ?* 113.

III. *An Lutheranis, verè & per conſcientiam, impingi poſſit, quòd omnipotentiæ divinæ detrahant?* 120.

IV. *Quid de deſcenſu Chriſti ad Inferos per conſcientiam credi, vel non credi oporteat?* 123.

V. *De proceſſione Spiritus S. ex Patre & Filio, quid per conſcientiã credi oporteat?* 130.

VI. *De Inhabitatione Spiritus S.* 138.

## EX
# ORATIONE DOMINICA,
## CASUS

I. *Utrùm Oratio ulla, bonâ cum Conſcientia, poſſit dirigi ad defunctos?* 147.

II. *Utrolibet horum magis ſibi conſulat Conſcientia, ſi oret:* Vatter Unſer: *an,* Unſer Vatter? 152.

III. *Quà conſcientiâ nomen* Dei *à nobis ſanctificari poſſit, cum* Deus *ſit immutabilis?* 155.

IV. *An, bona cum Conſcientia peti poſſit, ut adveniat Regnum* Dei, *cum jam antea penitiſſimè intra nos ſitum ſit?* 162.

V. *Utrùm diſtinctio Calviniſtica, de voluntate ſigni & beneplaciti, à nobis, bonâ cum Conſcientia approbari & uſurpari poſſit?* 168.

VI. *Utrùm beneficia Corporalia, tàm pro nobis, quàm pro jumentis noſtris, bonâ cum Conſcientiâ, à* Deo *petere poſſimus?* 173.

An-

VII. *Annon oneret ſe Conſcientia opinione meriti, quando orat: remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris?* 177.

VIII. *Quid de tentatione per rectam Conſcientiam ſtatui oporteat?* 182.

IX. *Utrolibet horum magis ſibi conſulat Conſcientia, ſi oret:* Erlöß uns vom Ubel: *an,* Erlöß uns vom böſen? 188.

X. *An in Oratione Dominica appendix: Quia tuum eſt Regnum &c. bona cum Conſcientia omitti poſſit?* 192.

## CASUUM EX INSTITUTIONE S. BAPTISMATIS.

I. *Quid de neceſſitate Baptiſmi, per Conſcientiam credi oporteat?* 197

II. *An in Baptiſmo, bona cum Conſcientia alius liquor, quàm aqua naturalis adhiberi poſſit?* 204.

III. *Quid de re cœleſti in Baptiſmate per conſcientiam ſtatui oporteat?* 207

IV. *De formulis loquendi in adminiſtratione Baptiſmatis, quibus actus iſte corrumpatur & conſcientia lædatur?* 212.

V. *An Baptiſmus ſolâ aſperſione, bonâ cum Conſcientiâ, poſſit peragi?* 217.

VI. *Utrùm aliquis ſeipſum licitè poſſit baptizare?* 223.

VII. *An Laicus, imò mulier, in caſu neceſſitatis, bonâ cum Conſcientiâ, poſſit baptizare?* 227.

VIII. *Quid per Conſcientiam fieri oporteat, ſi vel infantis nomen omittatur, vel, & nomen & ſexus, pervertatur?* 236.

IX. *An baptiſmus ab Heterodoxis adminiſtratus, bonâ cum Conſcientiâ, poſſit admitti?* 245.

X. *An infantes noſtri ad baptizandum bonâ cum Conſcientiâ poſſint offerri Miniſtris, qui in religionis negotio à nobis diſſident?* 251.

XI. *An monſtroſis partubus, quin ipſis etiam Campſoribus, baptiſmus, bona cum Conſcientia, poſſit miniſtrari?* 254.

XII. *An infantes illegitimè nati, bonâ cum conſcientiâ ad baptiſmum admittendi?* 265

XIII. *An*

XIII. *An Gentilium aliorumq́; infidelium Liberi, bonâ cum Conſcientiâ, ad baptiſmum admittendi?* 277.
XIV. *An Expoſititiis ritè conferatur Baptiſmus, etiam tum, quando de jam antè collato baptiſmate ſchedam ſive teſtimonium habeant affixum?* 283.
XV. *De Zingarorum Liberis, an bonâ cum Conſcientiâ poſſint baptizari?* 287.
XVI. *An Liberi è Chriſtianis Parentibus prognati, ante perceptum baptiſmum rectè appellentur Ethnici?* 292.
XVII. *An actus Baptiſmatis, ſemel ritè adminiſtratus, bonâ cum Conſcientiâ, poſſit repeti?* 296.
XIIX. *An fœtus nondum perfectè in lucem editi bona cum Conſcientia poſſint baptizari?* 302.
XIX. *Quales in Suſceptores, ad levandum è ſacro fonte baptizandum, bona cum Conſcientia eligendi?* 306.
XX. *Quid de Exorciſmo, per conſcientiam ſtatui, vel non ſtatui oporteat?* 312.

# CAPITIS QUINTI CATECHETICI DE CONFESSIONE ET ABSOLUTIONE CASUS.

I. *An privata Confeſſio, quam auricularem dicunt, bona cum Conſcientia retineri poſſit in Evangeliciis Eccleſiis?* 326.
II. *An quis, bona cum Conſcientia negare poſſit, Confeſſionem privatam eſſe de jure divino?* 331.
III. *An generalis Confeſſio coram Miniſtro, bona Conſcientia ſufficiat?* 337.
IV. *An Confeſſio peccatorum Eccleſiaſtica, ob emergentes cauſas, aliquando ex bona conſcientia poſſit intermitti, utut aliàs ordinariè ſolita ibi ſit diligenter obſervari?* 344.
V. *An pendente lite, aliquis, bona cum Conſcientia, poſſit confiteri?* 350.

VI. *An*

VI. *An certus terminus frequentandæ Confeſſionis, bona cum conſcientia poſſit conſtitui?* 354.
VII. *An aliquis à Confeſſario ſemel recepto, poſſit recedere, & ejus locò alium ſibi eligere?* 357.
IIX. *Quid circa ſurdos & mutos in hoc Confeſſionis negotio, per Conſcientiam ſuſcipi debeat?* 361.
